LINNAEA.

Ein

Journal für die Botanik

in ihrem ganzen Umfange.

Dreiunddreissigster Band.

Oder:

Beiträge

zur

Pflanzenkunde.

Siebenzehnter Band.

Herausgegeben

von

D. F. L. von Schlechtendal,

der Med., Chir. u. Philos. Dr., ordentl. Prof. an der Universität zu Halle und mehrerer gelehrten Gesellschaften Mitglied.

Mit drei Tafeln Abbildungen.

Halle a. d. S. 1864 u. 1865.

gedruckt auf Kosten des Herausgebers.

In Commission bei C. A. Schwetschke und Sohn.

(M. Bruhn in Braunschweig.)

MISSOURI BOTANICAL GARDEN LIBRARY

Inhalt.

Seite

Plantarum novarum Chilensium Centuriae, inclusis quibusdam Mendocinis et Patagonicis. Auctore Rud. Am. Philippi, hist. nat. in Univers. Chilensi professore etc. 1

Ergänzender u. berichtigender Nachtrag zu dem Taschenbuche der Flora von Thüringen, von Fr. Chr. G. Schönheit . . 309

Weitere Nachträge und Verbesserungen zu Schönheit's Taschenbuch 751

Beiträge zur Kenntniss der Coniferen, von D. F. L. v. Schlechtendal.

I. Ueber *Widdringtonia* Endl., von Demselben. Mit Taf. I. 339

II. *Cupressus*, von Demselben. Taf. II. 362

III. Ueber einige nordamerikanische Pinus-Arten und die systematische Anordnung der *Abietineae*, von Dr. L. Engelmann. (Uebersetzt.) 383

IV. Beobachtungen an verschiedenen Coniferen, von D. F. L. v. Schlechtendal.

1. *Pinus Strobus* 395

2. *Pinus uncinata* 396

3. Abnorme Bildungen

a) bei *Pinus Strobus* 400

b) bei *Pinus austriaca* 693

c) bei derselben 693

d) bei *Pinus Pinea* 694

e) Zapfen von *Pinus Laricio* 696

Seite

V. *Juniperus.* 1. Art. Ueber die europäischen Arten der Abtheilung *Oxycedrus*, von D. F. L. v. Schlechtendal 698

Versuch einer Geschichte der ungarischen Botanik, von August Kanitz 401

Palmae novae Columbianae. Collegit et descripsit Franz Engel. Hierzu Taf. III. 665

Cichoriacearum Boliviensium novarum a clar. Giliberto Mandon Pictaviensi lectarum sertulam Henrico Theoph. Ludov. Reichenbach d. X. m. Maji solemnia semisaecularia muneris professoris historiae naturalis celebranti offerens congratulatur C. H. Schultz Bip. 755

Register der Pflanzennamen 763

Plantarum novarum Chilensium

Centuriae inclusis quibusdam Mendocinis et Patagonicis.

Auctore

Rudolfo Amando Philippi,

hist. nat. in Universitate chilensi professore etc.

---

583. **Clematis mendocina** Ph. Cl. foliis biternatis, vix puberulis; foliolis ovato-lanceolatis integerrimis, raro trifidis, bifidisve, pinnarum lateralium confluentibus; pedunculis trifloris, folium subaequantibus; floribus dioicis; petalis numerosis, filiformibus, foliola calycina subaequantibus. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 389.

In provincia Mendoza legit orn. Wenc. Diaz; ibi vocatur (nomine generali) *Bejuco*. — Specimen unicum ♀ vidi. Caulis profunde sulcatus. Folia quinquepollicaria; pars nuda petioli fere 21 lin. longa; foliolum laterale pedicello 6 — 8 lin. longo fultum, tripartitum, laciniis lanceolatis integerrimis, intermedia bipollicari; foliola terminalia tria, pedicello 3 — 5-lineari fulta, caeterum similia, sed lateralia interdum extus unilobulata, rarius trifida. Pedunculi folium aequantes, dense pubescentes, praesertim superius; ad divisionem pedunculi folia duo, lanceolata, in petiolum attenuata, et pedicelli late-

rales medio bibracteati. Foliola calycina quatuor, alba, oblonga, 6 lin. longa, intus et praesertim margine dense albotomentosa. Petala ultra 20. Ovaria numerosissima a basi inde densissime et longissime pilosa.

584. **Ranunculus erodiifolius** Gay Botan. 1. p. 45. — Diu pro nova specie habui et sub nomine *R. pratensis* cum amicis communicavi. Erroris ansam praebuit diagnosis cl. antoris l. c., ubi folia radicalia *pinnatisecta* dicuntur, quod falsum et contradictio cum textu hispanico est, ubi eadem folia „in tres ad quinque partes divisa“ dicuntur. Ego sic definirem: R. pilosus; caulibus erectis, apice in pedunculos elongatos, unifloros, nudos terminatis; foliis radicalibus longissime petiolatis, hispidis, tripartitis; lobis cuneatis trifidis, laciniis iterum trifidis bifidisve; caulinis supremis integerrimis, linearibus; sepalis 5, reflexis, extus hispidis; petalis numerosis, fere duplo longioribus, angustis; achaeniis compressis, punctatis, stylo uncinato terminatis. Frequens in pratis paludosis prov. Valdiviae. Erodium cujus folia cum hoc Ranunculo similitudinem habeant non novi.

585. **Ranunculus andinus** Ph. R. 24, subcaespitosus, hirsuto-pubescens; caule humili, 1 — 3-floro; *foliis* radicalibus *caulem aequantibus*, triternatis, interdum fere tripinnatifidis; laciniis oblongo-linearibus *obtusis;* sepalis ovatis, reflexis; petala sepala sesquies aequantibus; carpellis laeviusculis, longe stylosis.

In Andibus prov. Santiago et Colchagua non raro occurrit. — Caules ad summum 3 poll. alti, erecti vel adscendentes, sicut tota planta pilis albidis satis patulis, mollibus onusti, unifiori aut frequentius 2 — 3-flori, et tunc 1 — 2 foliis onusti. Folia radicalia petiolo fere bipollicari fulta, ambitu late ovata, 10 lin. longa, 8 lin. lata; foliola lateralia fere

bipinnatifida, lobulis 20 — 22 formata; terminale iterum trifoliatum et quidem foliola lateralia ejus lobis 7 formata, terminale totidem; lobi vix 2 lin. longi, $^3/_4$ — 1 lin. lati. In aliis speciminibus folia minus composita, e. gr. lobis c. 19 composita; folia caulina semper simpliciora, supremum interdum integerrimum. Foliola calycina $2^1/_2$ lin. longa; petala quinque ad decem. Carpelli in globum uniti; styli satis uncinati. — Differt a *R. pedunculari* Sm. foliis plerumque longe magis divisis, lobis apice rotundatis neque acutis; pedunculis s. caulibus brevibus, nunquam folia superantibus.

586. **Callianthemum? semiverticillatum** Ph. Ranunculus s. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 60. C.? glaberrimum glaucum; caule erecto, subbifloro, foliorum semiverticillos duos gerente; foliis subquinis, longe petiolatis, subbipinnatifidis, pinnis petiolatis, foliolis oblongo-lanceolatis, obtusis; pedunculis folia parum superantibus, sepalis 5, late ovatis, obtusis, margine purpureis; petalis 10—15 albis, obovatis, basi sensim in unguem elongatam terminatis; carpidiis in globum aggregatis laevibus, stylo brevissimo recto terminatis.

Prope nivem perpetuam montis Yate detexit ornatissimus Ricardus Pearce. Specimina dua quae suppetunt radice foliisque radicalibus carent. Caulis 5—8 poll. altus, 2 lin. crassus, carnosus; ultra medium nudus. Folia — flore terminali jam expanso — contracta modo 10 lin. longa, fructu maturante vero $3^1/_2$ — 4 poll. longa, quina; petiolus usque ad medium nudus, 3—4-jugus; pinnarum inferiorum petiolulus pariter ultra medium nudus, subtrijugus; foliola usque ad $2^1/_2$ lin. longa, fere 1 lin. lata, utrinque angustata, obtusa. Diameter floris primum 10 lin., deinde petalis exerescentibus 16 lin., petalis tunc fere $3^1/_2$ latis. Glandula potius quam squama fere $1^1/_2$ lin. a basi unguis angustissima distat. Stamina numerosa, filamentis $1^1/_2$ lin. longis insidentia. Specimina

nimis compressa sunt, ita ut indagare nequeam utrum ovula sint pendula necne, sed habitus *Callianthemi* potius quam *Ranunculi*.

Obs. *Barneoudias* Nov. 1861 vivas observare mihi licitum fuit. *B. major* mihi Cent. I. no. 1. semper sequente major; folia in tuberculis sterilibus quaerenda ternata, ovata, apice incisa; lobi involucri pariter incisi; sepala intus et extus pubescentia, extus apice chalybea, caeterum atro-caerulea, basi virescentia, nervis parallelis nigricantibus. — Tubercula diametri 2 pollicum inveni.

Barneoudia chilensis Gay folia tripartita, lobis obovatis vel spathulatis, acutis, integerrimis, ad basin pilosis; lobi involucri pariter integerrimi; petala intus pubescentia, extus glaberrima, caerulea, marginibus albis, non luteis ut in fig. Gayi. *B. Domeykoana* Leyb. An. Univ. Chil. eadem species luxurians, biflora est.

586a. **Berberis Grisebachii** Lechl. Specimen loco Portezuelo de Ranco dicto in Andibus Valdivianis a Pearceo lectum folia inferiora oblongo-lanceolata, utrinque spina una alterave armata ostendit; longitudo iis 24 lin., latit. 5 lin. est. Subtus glauca sunt, quod in specimine magellanico non observo. Spinae interdum quinquepartitae.

587. **Berberis Pearcei** Ph. B. inermis?; foliis breviter petiolatis, oblongis, coriaceis, spinoso-serratis, mucronatis, subtus glaucescentibus vel rufescentibus, glabris, reticulato-venosis; racemis 6 — 10-floris, folium vix aequantibus.

Loco Boquete de Ranco dicto in Andibus Valdivianis c. 4000 ped. s. m. elevato invenit orn. Pearce. — Rami angulati, cinerei, omnino inermes? Folia in specimine unico quod suppetit pleraque solitaria, haud rosulata, majora 31 lin. longa (incluso petiolo $2^1/_2$ lin. longo), 9 lin. lata; dentes

utrinque circa 18, autrorsum directi, spina satis magna terminati. Folia in basi ramulorum conferta, et stipulis? elongato-triangularibus, fuscis, striatis, 3 lin. longis stipata. Nervi pauci, valde prominentes. Pedunculus communis vix 4 lin. longus; pedicelli conferti, aequelongi, bractea ovata, acuta, $1\,^1/_2$ lin. longa, fusca fulti. Foliola calycina majora $3\,^1/_2$ lin. longa; petala parum majora; ovarium cum stylo fere 3 lin. longum. Fructum non vidi. Dentes foliorum valde elegantes. — *B. ilicifoliae* proxima, sed dentibus foliorum numerosissimis etc. facile distinguenda.

588. **Berberis florida** Ph. B. spinis tripartitis, brevibus, saepe latis; foliis valde coriaceis, breviter petiolatis, dense reticulatis, oblongis vel orbicularibus, mucronatis, integerrimis; pedunculis unifloris, 1 — 20 in extremitate ramulorum fere aphyllorum, confertis, brevibus, floribus parvis.

In Andibus prov. Colchaguae in elevatione circa 6000 ped. legit ornat. Ludov. Landbeck. — Unicum specimen adest, propter ramulos aphyllos floribus numerosissimis dense onustos singulare. Rami pallide cinerei, sulcati, glaberrimi, juniores apice rufescentes. Folia majora 9 lin. longa, 6 lin. lata, pedunculo $2\,^1/_2$ lin. longo insidentia, sed folia oblonga et folia fere circularia cum ovatis mixta sunt; omnia integerrima, mucronata, valde coriacea, glaberrima, dense reticulata sunt, sed venae praeter medianam haud prominent. Spinae ramis tribus aequalibus constant, vix ultra $2\,^1/_2$ lin. longae, inferiores latae. Pedunculi in ramis biennibus foliiferis 5 — 7 ex quavis axilla superiore, in ramis novellis aphyllis vero spina parva fulti et bracteis fuscis, ovatis, mucronatis, carinatis circumdati, vix 3 lin. aequant. Calycis foliola vix $1\,^1/_2$ lin. longa; corolla calycem aequat.

589. **Cardamine variabilis** Ph. C. erecta, glabra, 6 — 12-pollicaris; foliis inferioribus longe petiolatis, plerisque

integris, ovatis, obtuse dentatis, caulinis superioribus plerumque ad basin lobulis binis linearibus integerrimis munitis, acute et profunde dentatis; floribus albis; siliqnis augustis, pedicellum ter aequantibus.

In ripa glareosa Lacus Ranco prov. Valdiviae legi. — Radices albi. Caules subterranei radiciformes ad nodos inflati. Foliorum forma admodum variabilis. Radicalia jam 2 poll. longa, lamina orbiculari 10 lin. longa, 10 lin. lata; jam petiolus modo 7 lin. longus, laminam ovato-oblongam 16 lin. longam, modo latam fert; dentes utrinque jam 2, jam 4, jam obtusi, jam acuti; folia floralia sessilia aut breviter petiolata plerumque dentibus acutis 1 — 2 utrinque munita rarius integerrima, saepe utrinque ad basin lobulo aucta. Pedicelli florales 1 — 1 1/2 lin. longi; sepala 1 1/2 lin. longa, e luteo-viridia, albido-marginata; petala 2 lin. longa, siliquae patulae, maturae 12 — 14 lin. longae, vix ultra 1/2 latae, petiolo 4 — 5-lineari fultae.

590. **Cardamine pentaphylla** Ph. C. 24, glaberrima; caule e basi ramoso; foliis longe petiolatis, pinnatis, foliolis plerumque 5, subaequalibus, lanceolatis vel linearibus, integerrimis, vel uni- ad bidentatis; siliquis erectis, abrupte acuminatis.

Cum priore legi; mense Januario jam defloruerat. Caulis circa pedalis. Folia radicalia petiolo 16 — 20 lineari insident, lamina eorum circa 15 lin. longa, totidem lata; foliola 9 — 12 lin. longa, 2 — 4 lin. lata, integerrima vel utrinque dente acuto munita; interdum foliola in folium profunde quinquefidum confluunt. Folia floralia. Flores . . . . . Siliquae pedicello 3 — 5-lineari insidentes, vix 8 lin. longae, 2/3 lin. latae; valvulae sub lente nervis duabus tenuibus munitae. Stylus brevis, a siliqua distinctus. — *C. tenuirostris* Hook.

foliolis longe angustioribus, siliquis in apicem angustiorem sensim terminatis *differt.*

591. **Cardamine Volckmanni** Ph. C. 24, glaberrima, erecta; foliis pinnatis, petiolo basi nudo, foliolis trijugis, ovato-orbicularibus, subpetiolatis, terminali majore, subtriobo, cuneato; petalis albis, calycem bis aequantibus; siliquis erectis, stylo brevi, obtuso, crasso terminatis.

In Andibus prov. Coquimbo ad „Baños del Toro“ leg. cl. Volckmann.

Plantula 5—6-pollicaris; rhizoma album, vix 1 lin. crassum. Folia conferta, praesertim ad basin caulis, 19 lin. longa; pars nuda petioli 9—10 lin. longa; foliola lateralia $3^1/_4$ lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, terminale 4 lin. longum, 4 lin. latum. Pedicelli fructiferi fere 3 lin. longi; calyx $1^2/_3$ lin. longus, sepalis obtusis, apice violascentibus. Siliqua 12 lin. longa, sensim in stylum crassum abit, et haud nervosa est. Semina uniseriata.

592. **Cardamine cordata?** Barn. An. Univ. Chile 1862. 2. p. 377. C. glaberrima; caule folioso, simplici, erecto; foliis longe petiolatis, rotundatis, angulato-dentatis; floribus .....; racemo brevi; siliquis erectis.

Prope thermas de Chillan dictas ad limitem nivis perpetuae legi. — Planta 6—7-pollicaris, ramis simplicibus. Folia carnosa, subtus purpurea, infima interdum cordata, pleraque vero basi cuneata in petiolum abeuntia, inferiora 12 lin. longa, fere aeque lata, petiolo bipollicari insidentia, dentibus quinque subangulata; superiora brevius petiolata, magis ovata; supremum, pedunculum infimum ex axilla emittens, interdum parvum, integerrimum. Racemus defloratus, vix $1^1/_2$ poll. longus, c. 20-florus; pedicelli longiores $5^1/_2$ lin.; siliqua 11 lin. longa, $^2/_3$ lin. lata, sensim in stylum sessilem abit. —

A *C. cordata* Barn. apud Gay Bot. 1. p. 109 foliis omnibus integris, nullo trilobato differt.

593. Cardamine granulata Ph. C. glabriuscula, rhizomate granulifero; caule erecto, bipedali? foliis radicalibus longe petiolatis, integris aut impari-pinnatis, foliolis 3—5, terminali maximo, orbiculato-reniformi, lateralibus ovatis, subsessilibus, omnibus inaequaliter et paucidentatis; caulinis supremis tripartitis, imo integris; pedicellis patulis; siliquis erectis in stylum longum, tenuem, sensim terminatis.

E prov. Colchagua ad radicem Andium lectam attulit orn. Landbeck. — Specimina, quae suppetunt, ambo supra radicem comesa ramis modo constant. In basi caulis tubercula sessilia vel bulbilli numerosi. Caulis pilis patentibus, brevibus raris obsitus, primo adspectu glaber, (principalis) 2 lin. crassus. Rami subradicales pedales, indivisi. Petioli foliorum radicalium $3^1/_2$-pollicares, lobus terminalis diam. 8 lin.; laterales 7 lin. longi, $3^1/_2$ lin. lati; folium supremum integrum 8 lin. longum, $4^1/_2$ lin. latum, petiolo 4-lineari insidens. Folia glaberrima haud ciliata. Flores non adsunt. Pedicelli fructiferi 3 lin. longi, angulum c. 60° cum axi formant; siliquae 16 lin. longae, $^5/_6$ lin. latae, stylo $1^1/_2$ lin. longo terminatae; stigma minimum. Semina uniserialia, compressa, rufo-fusca. — *C. tuberosae* DC. simillima, sed stylo elongato tenui et stigmate minimo, haud capitato distincta est.

594. Nasturtium palustre? DC. N. erectum, glabrum, ramosum; foliis auriculatis, pinnatifido-lyratis; racemis paniculatis; petalis luteis, minutis, calycem aequantibus; siliculis ellipsoideis, pedunculum patentem aequantibus, stylo longiusculo terminatis.

In alveo fluminis Cauten Araucaniae legit orn. Krause. — Planta ultra pedalis, superius ramosissima. Folia inferiora ....

caulina $3^1/_2$ poll. longa, 8 lin. lata, lobulis utrinque quinis composita, ultimis majoribus; inciso-serrata, dentibus magnis, inaequalibus. Racemi majores 4 — 5-pollicares; pedunculi floriferi vix 1 lin. longi; calyx et petala $^2/_3$ longi; siliqua 3 lin. longa, 1 lin. lata; stylus $^1/_2$ lin. longus. Semina numerosa, biseriata, pallide fusca seu flavescentia, sub lente ob cellulas magnas epidermidis elegantissime reticulata. — Specimen unicum *N. palustris* europaeum, quod conferre licet, stylo longiore, staminibus brevioribus differt.

595. **Sisymbrium tenuissimum** Ph. S. annuum, caule erecto, pilis brevibus, glandulosis hirtello; foliis incanis, tripinnatifidis, laciniis brevibus, obtusis, angustissimis; racemis laxissimis; pedunculis capillaribus, superius pilos ramosos gerentibus; floribus minutis flavis; siliquis angustis, stylo tenui, longiusculo terminatis.

Prope Arqueros legit cl. Gay, Herb. chil. no. 1038. — Specimen majus 15-pollicare; folia 14 lin. longa; laciniae eorum angustiores quam in *S. Sophia;* pedicelli 4 lin., siliquae 7 lin. longae, multo angustiores quam in *S. Sophia* vel *S. canescente.* Pedunculus communis superne dense glanduloso-pubescens. Calyx et siliquae pilis brevibus ramosis vestiti, sed non pube floccosa scabri. Petala calycem subaequant, stamina longiora sunt. — In *S. Cumingiano* Fisch. et M. folia modo pubescentia et pili caulis ramosi nec simplices apice glanduliferi dicuntur.

596. **Sisymbrium? macrostachyum** Ph. S.? perenne, glaberrimum; caule erecto, subaphyllo, fere a basi florente; foliis omnibus radicalibus, longe petiolatis, basi dente seu potius angulo uno alterove acutis; floribus distantibus; pedicellis erectis; petalis albis, calycem bis aequantibus; siliquis . . . .

In Cordillera de Doña Rosa Andium prov. Coquimbo legit orn. Volckmann. — Caulis pedalis, folia 18 lin. longa, 8 lin. lata, petiolo fere tripollicari insident. Flores tarde siliquam maturant; inferiores 15 lineas inter se distant; pedicelli inferiores fere 5, superiores 3 lin. longi; calyx $1\,^3/_4$ lin. longus. Stylus brevis, crassus siliquae impositus est.

597. Sisymbrium foliosum Ph. S. caule recto, ramosissimo, glauco, hirsuto; foliis superioribus sessilibus, sagittatis, oblongis, laciniato-dentatis, dentibus setigeris, caeterum glabris; racemis densis; petalis albis, calycem bis aequantibus; siliquis patentibus, brevibus, pedicellum aequantibus, stigmate peltato coronatis; seminibus ....

Cum priore legit orn. Volckmann. — Partes superiores caulis quae supersunt pedales, 2 lin. crassae, glaucae, pilis patentibus, simplicibus, sparsis vestitae, e quavis axilla ramum floriferum emittunt. Folia approximata, internodia bis aequantia, oblonga, acuta, sessilia, sagittata. Pedicelli primum $2\,^1/_2$ deinde 4 lin. longi, mox horizontales fiunt; sepala $2\,^1/_4$ lin. longa, late ovata, viridia, margine albo cincta. Siliquae ... lin. longae, ... latae. — Stigma peltatum etiam *S. Arnottiano* adscribitur, sed hoc glaberrimum dicitur, eique folia cordata, obtusa, (nec sagittata, acuta) atque siliquae uncinales tribuuntur.

598. Draba Leyboldi Ph. Dr. caespitosa; foliis rosulatis, linearibus, basi in petiolum attenuatis, piloso-hispidis, obtusis; ramis subnudis, erectis, glabris; petalis albis, apice violaceis, calycem bis aequantibus; siliquis appressis, sensim in stylum brevem, crassum, stigmate peltato coronatum attenuatis.

In cordillera de Doña Rosa Andium Coquimbensium invenit idem orn. Volckmann. — Suffruticosa non est; e radice

crassa, albida, rosula foliorum et rami 1—4 nascuntur. Folia radicalia 13 lin. longa, 1 1/4 lin. lata, laete viridia, pilis albis simplicibus utrinque hispida et ciliata. Rami 3—5 poll. alti, jam omnino nudi, jam foliis nonnullis brevibus ornati, glaberrimi. Flores satis numerosi; pedicelli primum 1 1/2, deinde fere 3 lin. longi; sepala glaberrima, fere 2 1/2 lin. longa, dorso atroviridia, margine albida, oblonga. Siliquae glaberrimae, 3 1/2 lin. longae. — Foliis et cum *D. suffruticosa* Barn. et cum *D. stenophylla* Leyb. satis convenit; differt a priore siliquis brevioribus, crassioribus, stylo brevi, stigmate crasso; a *stenophylla* vero siliquis longioribus, sensim in stylum brevem attenuatis etc.

599a. **Draba chillanensis** Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 377. D. caespitosa, sublignosa glabriuscula; foliis fere omnibus radicalibus, linearibus, obtusis, plerisque utrinque versus apicem unidentatis; floribus .....; siliquis rectis, striatis, nervosis, elongatis, stylo distincto coronatis.

Ad thermas de Chillan dictas haud procul a nive perpetua inveni. — Radix alba, multiceps. Folia 10 lin. longa, 1 1/2—2 lin. lata, sensim basi attenuata, ciliata. Rami 3—3 1/2 poll. longi, erecti vel adscendentes, 2—3 folia gerentes, fere a medio floriferi. Pedicelli inferiores in fructu maturo 3 lin. longi, siliquae usque ad 9 lin. longae, 1 lin. latae; nervo mediano valde prominente, et praeterea rugis longitudinalibus striatae; stylus fere 1/2 lin. longus, stigmate simplici terminatus. Semina rufa.

599b. **Menonvillea trifida** Ph. var. M. foliis plerisque quinquefidis, tuberculo silicularum abbreviato.

In Andibus prov. Colchaguae legit orn. Landbeck. — Folia variabilia, jam trifida ut in forma normali, jam linearia, integerrima, sed plerumque bijugo-pinnatifida, seu quin-

quefida, lobis linearibus. Semper siliculae tuberculum duplo brevius quam in forma normali et utrinque sensim declive, neque abrupte truncatum observatur.

Agallis Ph. *) n. gen. Cruciferarum.

Calycis foliola basi aequalia. Corollae petala 4, unguiculata, spathulata, integra, flava. Stamina sex, tetradynama, edentula. Silicula oblonga, compressa, angustisepta, bivalvis, bilocularis, in quovis loculo 4 6-sperma, stylo coronata. Racemus foliatus.

600. **Agallis montana** Ph. A. annua sexpollicaris, erecta, parce ramosa, pilis patentibus, simplicibus vestita. Folia omnia pinnatipartita, radicalia circa 16 lin. longa, pinnulis circa 5—6 lin. longis, $1\frac{1}{2}$ lin. latis, trifidis vel quinquefidis, laciniis angustis, mucronatis; caulinorum pinnulae longiores, angustiores. Racemi elongati, *foliati*. Laciniae foliorum floralium utrinque 3—4, indivisae, perfecte lineares. Pedicelli primum $1\frac{1}{2}$ lin. longi, deinde usque ad 6 lin. longi. Sepala $1\frac{1}{4}$ lin. longa, ovato-oblonga, obtusa, hirsuta. Petala fere duplo longiora. Siliculae immaturae $4\frac{1}{2}$ lin. longae, $1\frac{1}{2}$ lin. latae, apice rotundatae, styloque brevi terminatae, basi cuneatae, pilis brevibus, albis, reversis hispidulae. Valvulae enerviae.

601. **Vesicaria mendocina** Ph. V. biennis?, tota stellatim pilosa, tomentosa, incana; caulibus *erectis*; foliis radicalibus caulinisque spathulatis, *repando-dentatis*; corymbis *multifloris*, demum elongatis; pedicellis florem aequantibus; sepalis *angustis*, *sublinearibus*; siliculis orbicularibus, stylo brevioribus. — *V. arctica* Barn. apud Gay Bot. I. p. 161 non Hook.

---

*) ἄγαλλις eine (unbestimmbare) Blume bei den Griechen.

In prov. Mendoza ad radicem Andium frequens, sed non in Chile. — Specimen, quod ornat. Wenceslav Diaz debeo, certo bienne; radix albida, simplex. Caules quinque ex eadem radice orti, simplices, pedales, *erecti* (non decumbentes ut in *V. arctica*), usque enneaphylli (non tetraphylli ut in illa). Folia pleraque repando-dentata, dentibus 1—3 utrinque; radicalia majora incluso petiolo 2 poll. 4 lin. longa, 5—6 lin. lata, caulina basi cuneata quam in *V. arctica*. Flores usque ad 20 et plures in quovis racemo, nec corymbi „pauciflori“ ut in illa. Pedicelli dum planta floret 6 lin. longi (in fig. *arcticae* vix 4 lin.); calyx $3^1/_2$-lin., pallide lutescens (in fig. *arcticae* 2-lin., viridis), foliola linearia, neque „ovata“; petala 5 lin. longa (*arcticae* secundum fig. $3^1/_2$ lin. longa). Comparationis ansam praebuit Curtis Bot. Mag. new series. vol. III. t. 2882.

Plantam arcticam in Andibus prope Santiago crescere phaenomenon mirabile fuisset, sed errorem demonstravi.

602. **Hexaptera scapigera** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 389. — H. pilosa; foliis omnibus radicalibus, rosulatis, pinnatifidis, in petiolum longum attenuatis; pedicellis flores magnos aequantibus; foliolis calycinis ovatis; petalis calycem bis aequantibus.

In Andium latere orientali in transitu inter Santiago et Mendoza, Portillo de los Pinquenes dicto legit ornat. Wenc. Diaz. — Scapus quadripollicaris. Folia 2—$2^1/_2$ poll. longa, 5—10 lin. lata, lobulis acutis vel obtusis, 5—7. Pedicelli inferiores a reliquis remoti, saepe jam in medio scapi oriundi, $3^1/_2$ lin. longi. Foliola calycina 2 lin. longa; petala 4 lin. longa, sed apex reflexus; color eorum in specim. siccis lividus, virescens, apice purpurascens. Stamina calyce dimidio longiora, petalis dimidio breviora; stylus parum brevior;

ovarium calycem aequans. Fructus .... — Ab *H. pinnatifida* Gill. et Hook. non solum scapo aphyllo, basi haud liguoso, sed etiam floribus duplo majoribus, lividis facillime distinguitur.

603. Hexaptera cicatricosa Ph. H. suffruticosa, caule cicatricoso, glabro; foliis ad basin ramorum hornotinorum confertis, obverse lanceolatis, acutis, glaberrimis; racemis elongatis; pedicellis erectis, pubescentibus; siliculis magnis, late alatis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 442.

Prope S. Jose in Andibus prov. Talca in elev. 1900 metr. s. m. leg. orn. Herm. Volckmann. — Rami adscendentes, 6-pollicares. Folia spatium $1\frac{1}{2}$—2 pollicum in eorum basi occupant, 9 lin. longa, 3 lin. lata, valde acuminata; basis eorum gibbosa, prominens, persistens, cicatrices formans. Racemi ab ultimo folio inde floribus numerosissimis onusti; pedicelli 8 lin. longi. Calyx erectus, 2 lin. longus, extus parce pilosus; corolla albida, fere $3\frac{1}{2}$ lin. longa. Longit. fructus cum stylo 6 lin.; diam. ejus 6 lin.

604. Viola psammophila Ph. V. annua, acaulis; foliis subrosulatis, linearibus, basi attenuatis, apice obtusis, integerrimis, subtus ad marginem glandulis oblongis nigris ornatis; pedunculis glabris, folium dimidium aequantibus; floribus luteis; sepalis obtusis, glandulosis, haud appendiculatis; calcare vix producto, obtuso.

In litore arenoso prope Portum Caldera prov. Copiapó legi. — Folia pollicem longa, vix ultra lineam lata, hirsuta; pedunculi 5—6 lin. longi; sepala fere 2 lin., petala 3—$3\frac{1}{2}$ lin. longa. — Simillima *V. Asteriae*, sed glandulis foliorum et calycis, sepalis calycinis obtusis, omnino exappendiculatis, petalis minoribus, angustioribus etc. satis differre videtur.

605. Viola Lechleri Griseb. Abh. Gött. Acad. Wiss. VI. ex mea sententia eadem atque *V. Huidobrii* Gay. Descriptio

Griesebachii exactissime in specimina ab ipso Gay in herb. chil. relicta quadrat.

606. **Viola chrysantha** Ph. V. annua, subacaulis; foliis rosulatis, capitato-congestis, rhombeis s. ovato-lanceolatis, petiolum bis aequantibus, margine ciliatis et supra glandulis nigris, utrinque circa tribus munitis, ideoque subsinuatis, subtus glandulis rufis dense obsitis; floribus axillaribus, numerosissimis, luteis; laciniis calycinis anguste lanceolatis, limbo lato, scarioso, albo; calcare lato, obtuso calycem semel, petalis calycem ter aequantibus.

In Andibus prov. Coquimbo, loco dicto „Baños de Toro" legit orn. Volckmann. — Planta longe magis foliosa quam *V. Asterias*, magis caespitosa, interdum caulem $1\frac{1}{2}$-pollicarem format, uti Oxalides nonnullae chilenses. Folia interdum subtus foliacea. Lamina eorum 4 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ lin. lata; pedunculi folia subaequantes; calyx 1 lin., corolla 3 lin. longa. In varietate lamina foliorum angustior, potius oblongo-linearis quam rhombea, ciliis longioribus et densioribus vestita, et pedunculi modo longitudine folii dimidii. Flores obscure lutei, calcar album. — *V. Asterias* facillime foliis linearibus obtusis, basi sensim angustatis, petiolo destitutis, segmentis calycinis haud marginatis, calcare brevissimo nec non habitu toto; *V. pusilla* Hook. floribus coeruleis etc. facillime distinguitur.

607. **Viola Montagnei** var. *glandulosa*. Lamina foliorum jam modo $1\frac{1}{2}$ lin. lata et 2 lin. longa, jam $2\frac{1}{2}$ lin. lata et modo 2 lin. longa. Pagina inferior glandulis obsita quarum numerus variat; pagina superior plerumque reticulata et semper sub lente fortiore velut granulis albis adspersa est, quae pili squamiformes sunt. In Andibus prov. Santiago et prov. Coquimbo invenitur.

Aliam *varietatem caulescentem*, caule 6 lin. crasso, poll. alto, foliis longius petiolatis, hirtis densissime vestito ad balnea de Toro dicta in Andibus prov. Coquimbo legit o m. Volckmann.

608. Viola corralensis Ph. V. suffruticosa, glabra erecta; foliis ovato-lanceolatis, obscure serratis; dentibus glandula nigra terminatis; stipulis petiolum vix aequantibus setaceo-laceris; floribus longe pedunculatis, caeruleis; bracteis longe ciliatis; petalis basi *imberbibus*.

Prope Corral detexit indefessus Krause. — Ramus qui suppetit 10-pollicaris. Folia inferiora 11 lin. longa, $5^1/_2$ lin. lata, petiolo $3^1/_4$ lin. longo insident; dentes iis utrinque circ. 9, nervi laterales utrinque duo, ad summum 3. Pedunculi bipollicares. Ciliae bractearum glandula terminatae. Petala 3 lin. longa, omnia imberbia, qua nota facillime a *V. capillari* et *V. Portalesia* dignoscitur. Praeterea foliorum forma diversa, pedunculi breviores, flores minores etc.

609. Viola Leyboldiana Ph. V. caulibus lignosis, adscendentibus, densissime foliatis; foliis supremis rosulatis, omnibus *ovato-spathulatis*, acuminatis, integerrimis, margine cartilagineo albo munitis, glaberrimis; floribus foliis aequantibus; calycis laciniis anguste lanceolatis, basi ex appendiculatis; petalis calycem aequantibus (purpureis?).

In altitudine 9—10,000 p. s. m. in Andibus invenit orn Leybold ad „Portillo del viento“, „Cerro azul“ etc. mecum que specimen nomine *V. Sempervivum??* communicavit. —

Ramus 6-pollicaris, a basi foliis densissime opertus, it nt massam clavato-cyliudricam 2 poll. crassam formet. Foli mediana, jam vetusta, fere 15 lin. longa, suprema et infe riora breviora; lamina in omnibus $2^1/_3$ lin. lata, sensim mor foliorum spathulatorum in petiolum abiens, apice vero sati

brupte acuminata; pagina superior sulcos 3 — 5 longitudinales nervis correspondentes ostendit, et sub lente minutissime granulata apparet. Pedunculi 6 lin. longi, paullo supra vsu bracteis duabus linearibus $2^1/_4$ lin., longis albis scariosus onusti. Laciniae calycinales 3 lin. longae; appendices nullae. Calcar breve rotundatum. — Satis a *V. Sempervivo* differt foliis totum caulem occupantibus neque apice rosulam elegantissimam formantibus, lamina longiore quam lata, basi haud truncata etc., eadem foliorum forma a *V. atropurpurea* Leyb. statim dignoscitur.

610. Polygala subandina Ph. P. herbacea, glaberrima; caulibus pluribus, erectis; foliis linearibus, elongatis, *acutis*, erectis; racemis elongatis, 10 — 15-floris, demum lateralibus; floribus pallide caeruleis (roseisve), minutis; sepalis basi viridibus, petala aequantibus; capsula ovata, vix emarginata, margine apicali fimbriata.

Ad radicem Andium prov. Santiago inveni. — Rami 4 poll. longi, folia 7 lin. longa, $^1/_2$ lin. lata; sepala majora $1^1/_2$ lin. longa, obovato-oblonga, acuta, alba basi viridia, apice caerulescentes, striis tribus e viridi caeruleis, lateralibus abbreviatis notata. Variat corollis roseis. — In *P. guidioide* folia confertissima, breviora, obtusa; flores majores, sepala longiora, apice vel omnino laete caerulea, rotundata; capsula fere aeque lata ac longa; *P. thesioides* caulibus fruticosis, ramis pubescentibus, foliis brevibus, confertis, obtusis, floribus capsulisque magnis summopere differt; *P. stricta* Gay quidem cum nostra optime floribus parvis convenit, sed corollis roseis, sepalis basi haud viridibus, capsula apice haud fimbriata facillime distinguitur; *P. pratensis* Ph., quae sequitur, corollis laete caeruleis, capsulis orbicularibus, aeque latis ac longis etc. absque negotio dignoscitur.

611. Polygala pratensis Ph. P. suffruticosa, puberula ramis numerosis, erectis vel decumbentibus; foliis oblongo linearibus, obtusiusculis; floribus laxiusculis 6—12, caeruleis minutis; capsula orbiculari, marginata.

In pratis nemorosis prov. Valdiviae occurrit. — *P. gnidioides* et *P. thesioides* caule fruticoso et floribus duplo majoribus, *P. stricta* floribus roseis; *P. Salasiana* caulibus debilibus prostratis, foliis apice dilatatis, versus flores majoribus, fere involucrantibus etc. facile distinguuntur, species quae antecedit vero corollis pallide caeruleis, sepalis basi viridibus, capsula ovata fimbriata neque orbiculari. — Caules vix pedales, debiles; folia $2^2/_3$ lin. longa, vix $^3/_4$ lin. lata; flores $1^3/_4$ lin. longi; capsula apice modo incisa nec bicornis aut late emarginata, diametri $1^1/_2$ lin.

612. Hualania Ph. novum genus *Polygalearum.* Annal. Univ. Chil. 1862. 2. p. 390.

Calyx persistens, pentaphyllus; foliola duo lateralia superiora paullo majora. *Corolla* tripetala; petala mediante tubo staminco inferne coalita, anticum majus, concavo-galeatum, integrum, genitalia includens; lateralia oblonga, multo minora. *Stamina* 8, adscendentia, subaequalia; filamenta in tubum fissum coalita, monadelpha; antherae superiores sessiles, inferiores breviter pedicellatae, biloculares, apice valvula communi dehiscentes. *Discus* nullus. *Ovarium* vix compressum biloculare; stylus elongatus, filiformis, curvatus, deciduus; stigma terminale, subbilobum; ovula in loculis solitaria e dissepimenti apice pendula. *Capsula* coriacea, compressa, cuneato-spathulata, bilocularis, margine loculicide dehiscens. *Semina* oblonga, pilis longissimis, semen totum involventibus, comosa.

Ovario, capsula et seminibus longe pilosis cum *Comesperma* Labill. convenit, sed calyce persistente, foliolis ejus

parum inaequalibus, corolla tripetala nec pentapetala, carina integra nec triloba ex descriptione differt. Figuram a cl. Delessert Icon. select. III. 20 datam inspicere non possum, cum volumen tertium in bibliotheca publica Santiagina desideretur.

Hualina colletioides Ph. — Frutex aphyllus, glaberrimus, spinosus, spinis crassis, alternis, patentibus; floribus in basi spinarum glomeratis, breviter pedunculatis, albidis.

Loco dicto Sunlunta in prov. Mendoza invenit orn. Wenc. Diaz; incolis, quibus Hualun audit, ad siccandum pruna persica aliaque inservit, quae in spinas figunt. — Ramuli qui adsunt 6 poll. longi, 2 lin. crassi. Spinae 1 $^1/_2$ poll. longae, saepe vix 5 lin. inter se distantes, laete virides, apice fuscae. Flores numerosi e tuberculo earum basali prorumpunt, et limbo brevissimo squamuloso circumdantur. Pedunculi ad summum 1 lin. longi. Calyx parum brevior; foliola ejus ovata, apice rotundata, fere coriacea, centro viridia, margine albido scarioso, majora a basi usque ad medium ciliolata. Carina floris 2 lin. longa, e lutescente albida; petala lateralia 1 $^1/_2$ lin. longa, angusta, oblonga, centro puncto violaceo notata. Filamentorum columna et antherae flavo-albidae. Fructus immaturus? viridis, 8 lin. longus, 1 $^1/_4$ lin. crassus, basi longe attenuatus, velut pedicellatus. Semina cum pilis albis sericeo-micantibus 5 lin. longa, absque pilis viridia, modo 2 $^1/_3$ lin. longa, linearia, basi attenuata.

613. Silene nubigena Ph. S. 2f. tota glanduloso-pubescula, multiceps; caulibus simplicissimis, unifloris, erectis; foliis lineari-lanceolatis, acutis, inferioribus confertis, basi angustatis; calycis inflati laciniis acutis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 378.

Supra thermas de Chillan dictas inveni. Planta ad summum 10-pollicaris; caulis quatuor foliorum paria gerens,

ultima bracteiformia; pilis articulatis, glanduloso-viscosis tectus. Folia radicalia 2 poll. longa, 4 lin. lata. Calyx $6\frac{1}{2}$ lin. longus, ut videtur quinquangularis. Petala .... Capsula calycem parum superans, dentibus sex dehiscens etc. — Differt a *S. plutonica* Naud. caule unifloro, foliis longe angustioribus.

614. Lychnis terminalis Naud. In descr. a cl. Naudin data (Gay I. p. 256) de petalis altum silentium. In speciminibus meis petala alba, quadrifida, nempe profunde bifida et utrinque extus ad altitudinem bifurcationis dens divaricatus acutus, lobis medianis multo minor.

615. Stellaria stenopetala Ph. St. glaberrima, caespitosa, humilis; foliis oblongo-lincaribus; floribus axillaribus, solitariis; sepalis ovato-lanceolatis; petalorum bipartitorum laciniis peraugustis, calyce vix longioribus; ovario globoso.

Cord. de Doña Ana in prov. Coquimbo, Volckmann. — Caules ad summum $1\frac{1}{2}$-pollicares; folia $3\frac{1}{2}$ lin. longa, $1\frac{1}{2}$ lata, obtusiuscula, jam internodia subaequant, jam magis approximata, iisque multo longiora. Pedunculi $1\frac{1}{4}$ lin. longi; calyx ejusdem longitudinis; stamina decem, calycem aequantes; styli 3 etc.

616. Arenaria Pissisi Ph. A. perennis, caespitosa, glanduloso-puberula; foliis oblongo-linearibus vel anguste linearibus; stipulis ovato-lanceolatis; floribus terminalibus solitariis; sepalis ovatis, duabus late marginatis; petalis sepala vix aequantibus; ovario depresso, basi contracto.

In Andibus prov. Coquimbo loco dicto „Baños del Toro“ invenit orn. Volckmann. — Ramuli modo $2\frac{1}{2}$-pollicares; folia jam 3 lin., jam 6 lin. longa, $\frac{1}{2}$ — $\frac{2}{3}$ lin. lata, mucronata, jam approximata, jam internodia subaequantia; stipulae

1 2/3 lin. longae. Pedunculi modo 3 1/2 lin. longi; sepala 2 1/4 lin. longa, valde inaequalia, nempe interiora duo margine lato, albo, scarioso munita; stamina 10 aequalia, petala aequantia, alba, basi dilatata, velut glandulosa, crocea, contigua. Ovarium singulare, basi contractum, supra depressum, in parte superiore durius; styli tres, basi coaliti. Capsula....

617. Cerastium andinum Ph. C. puberulum, 2|, multicaule; caulibus adscendentibus, 3—7-floris; foliis ramulorum sterilium oblongo-ovatis, obtusis, florescentium oblongo-linearibus acutis; petalis nec non capsula calycem bis aequantibus, sepalis ovatis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 318.

In fissuris rupium ad altit. c. 7000 pedem supra thermas de Chillan legi. — Rami 4—5-pollicares, valde foliati, demum magis denudati. Folia ramulorum sterilium 4 lin. longa, 1 1/2 lin. lata; florescentium 6 1/2 lin. longa, 1 1/2 lin. lata; nervus medianus subtus valde prominet. Bracteae supremae calycesque margine albo-scariosi. Sepala in flore 1 1/2 lin., in fructu fere 3 lin. longa. Capsula cylindrica, recta, 4 lin. longa. — Differt a *C. montano* Naud. (Gay I. p. 275) foliis latioribus, nunquam margine revolutis, et capsula calycem superante; a *C. nervoso* ejusd. l. c. p. 277 capsula calycem superante neque inclusa etc.

618. Cerastium Diazi Ph. C. 2|, caespitosum, pulverulento-tomentosum, viscosum; foliis confertis, ovato-oblongis, sessilibus; pedunculis 1—3-floris, etiam post anthesin erectis; sepalis *late ovatis*, apice margineque scariosis; petalis calycem sesquies aequantibus, emarginatis; capsula recta, calycem triente superante. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 391.

In latere orientali Andium inter Santiago et Mendoza, via Portillo de los Pinquenes dicta, invenit orn. Wenc. Diaz. — Ramuli 3—4-pollicares. Folia majora fere 6 lin. longa,

2 lin. lata, plerumque acutiuscula. Pars nuda pedunculi vix ultra 6 lin. longa; pedicellus centralis 4 lin., laterales 6 lin. longi, medio bracteis *ovatis*, late scariosis onusti. Calyx $2^2/_3$ lin. longus, siccus longitudinaliter rugatus, fere nervosus. Capsula $3^1/_3$ lin. longa. — Foliis latioribus cum *C. andino* mihi, *C. nervoso* Naud., *C. montioide* Naud. convenit, sed facile a prioribus sepalis ovatis, ab ultimo pubescentia et pedunculis trifloris distinguitur.

619. Sagina valdiviana Ph. S. glabra, erecta, bipollicaris, ramosa; foliis linearibus, mucronatis, basi scariosa fere stipuliformi connatis, haud ciliatis; floribus numerosis, terminalibus; floribus pentameris, sepalorum obtusorum margine angusto scarioso; petalis minimis subulatis; capsula calycem parum superante quinquevalvi.

Propo Corral legit orn. Krause. — Folia $4-4^1/_2$ lin. longa, $^1/_3$ lin. lata, internodia paullulum superant. Pedicelli semper erecti, 3—4 lin. longi; sepala 1 lin. longa, petala vix tertiam partem sepalorum aequant, stamina sepalis opposita, vix bis tertiam eorum partem aequantia. — Floribus pentameris cum *S. chilensi* convenit, a qua statim glabritie etc. differt.

620. Sphaeralcea glabrata Ph. Sph. caule foliisque e luteo-viridibus, *glabris;* foliis subflabelliformibus, suborbiculatis, parum lobatis, crenato-dentatis; stipulis lato-linearibus; floribus in apice ramorum aggregatis, breviter pedunculatis; calycis pilis stellatis brevissimis puberuli laciniis triangulari-lanceolatis. *Sph. chilensis* var. apud Gay. vol. I. p. 293.

In Cordillera de Linares dicta habitat. — A *Sph. chilensi* non modo caulibus foliisque glabris, et calycis pubescentia brevissima, sed etiam forma laciniarum calycis valde

discrepat. In *Sph. chilensi* laciniae angustiores et majores sunt, nempe 3 lin. longae, vix 1 lin. latae, in *glabrata* vix 2 lin. longae, sed ultra lineam latae. Stipulae pariter in *glabrata* duplo latiores.

621. Sphaeralcea obtusiloba Hook. = *Sph. valparadisea* Ph. in litt. Cum opus Botanical Miscellanies inspicere mihi contigisset, ubi in tab. 2787. *Sph. obtusiloba* Hook. depicta est, cognovi cl. Gay in opere suo vol. I. p. 291. aliam speciem cum hac confudisse, unde veram *obtusilobam*, descriptioni Gayanae confidens, pro nova specie sumsi. *Sph. obtusilobae* verae „folia quinqueloba crenata“, „flores quini aut seni, in *capitulum* uniti“, *Sph. obtusilobae* Gayanae vero: „folia trilobata, inaequaliter dentata, flores *spicam* nonnunquam unilateralem formantes“ sunt. His adde flores in *obtusiloba* vera esse subsessiles, et lacinias calycinas *late ovatas*. Speciei Gayanae nomen hujus botanici imposui et sic distinguo:

622. Sphaeralcea Gayana Ph. Sph. fruticosa, tomentoso-velutina, incana; foliis (parvis?) utrinque canis, *cordato*-orbiculatis, tri — quinquelobis; lobis parum profundis, obtusis, crenatis; floribus racemosis secundis; pedunculo communi elongato, partialibus calycem aequantibus; laciniis calycinis triangularibus, oblongis demum excrescentibus. — *Sph. obtusiloba* Gay I. p. 291. non Hook.

Prope la Serena legit cl. Gay. — Folia caulina parva, vix 7 longa; pedunculus communis vero in uno specimine 42 lin. longus, multiflorus; pedicelli inferiores 4 — 6 lin. longi; calyx in flore $3^1/_2$ lin. longus, maturante fructu excrescens. Alterum quod suppetit specimen pedunculos modo 20 lin. longos trifloros habet, caeterum convenit.

623. Sphaeralcea Berteroana Ph. Sph. fruticosa; caulibus flexuosis, tomentoso-velutinis, incanis; foliis supra

lutescentibus, basi *cuneatis*, subtrilobis, lobo mediano acutinsculo, subintegerrimo, lateralibus brevissimis, parce crenatis; racemis axillaribus 3—6-floris; laciniis calycinis oblongo-triangularibus, canescentibus.

Prope Rancagua legit infelix Bertero. — Folia 20 lin. longa, 18 lin. lata petiolo 9 lin. longo insident, supra lutescenti-viridia, basi cuneata, lobo mediano triangulari, forma a foliis aliarum specierum chilensium satis distincta. Racemi numerosi, conferti, inferiores 33 lin., supremi 9 lin. longi; pedicelli inferiores 4, superiores 2 lin. longi; calyx in flore vix 4 lin., in fructu maturo 7 lin. longus. Carpidia 2 lin. et ultra longa, basi transversim rugosa, in margine dorsali bitubercnlata, disperma.

624. Sphaeralcea collina Ph. Sph. stellato-tomentosa, incana; foliis *subrhombeis*, inaequaliter crenatis, interdum subtrilobis, obtusis; pedunculis axillaribus, folio brevioribus, ad summum trifloris; floribus brevissime pedicellatis.

In Cerro de S. Cristóval prope Santiago legi potest. — Planta potius suffruticosa quam fruticosa, vix pedalis; folia plerumque modo 9 lin. longa, 7 lin. lata, petiolo 5 lin. longo insidentia, inferiora longius, superiora brevius petiolata. Pedicelli floris vix 1 lin. longi; calyx $3\,^1/_2$ lin. longus; petala 6 lin. longa. — *Sph. velutina* Presl Reliq. Haenk. II. p. 124. pubescentia et pedunculis brevibus 1—3-floris cum nostra convenit, sed ei folia *cordato*-orbiculata attribuuntur.

625. Sphaeralcea mendocina Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 392. Sph. suffruticosa; caule adscendente, pilis stellatis albo-tomentosa; foliis trilobis, grosse inciso-serratis, supra viridibus, subtus canescentibus; pedunculis axillaribus, plerumque geminis, terminalibusque brevissimis; bracteis minutis, bifidis; foliolis calycis exterioris setaceis; laciniis calycis

interioris ovato-triangularibus, incanis; corolla calycem bis aequante, rosea, diametri 12 — 14 lin.

Prope Mendoza frequens. W. Diaz. — Rami, qui suppetunt, 1 — 1 1/2-pedales, apice in racemum aphyllum terminantur. Folia inferiora cordata, reliqua truncata, imo cuneata, omnia triloba, et, quamvis pilis stellatis obsita sint, supra sat laete viridia, majora 2 1/3 poll. longa, 1 1/3 poll. lata; petiolus dimidiam laminam aequat. Stipulae minutae vix 2—2 1/2 lin. longae, superiores persistentes et deficiente folio bracteae fiunt. Pedunculi 1 — 3, plerumque 2, axillares, superiores racemi terminalis solitarii, plerumque uniflori, sed etiam elongati, triflori occurrunt; albido-tomentosi sunt ut caulis. Calyx 4 lin. longus, laciniis ovatis, acuminatis fere aristatis. Columna staminum brevis.

626. **Sphaeralcea floribunda** Ph. Sph. pilis stellatis tomentosa, canescens; foliis suborbicularibus, basi truncatis, crenato-dentatis, inferioribus subquinquelobis, superioribus potius trilobis, lobo medio productiore, reliquisque acutiusculis; inflorescentia elongata, spiciformi; pedunculis axillaribus, folium aequantibus, apice 4 — 8-floris; pedicellis brevibus; laciniis calycinis ovato-lanceolatis, basi constrictis.

In collibus prope Santiago inveni. — Fruticulus c. tripedalis; ramis virgatis, basi 2 lin. crassis. Folia fere pannosa, inferiora petiolo 9 lin. longo, tenui fulta, 19 lin. longa, 16 lin. lata; superiora sensim minora et brevius petiolata. Stipulae lineari-subulatae 2 1/2 — 3 lin. longae. Pedunculi c. *quindeni*, superiores foliis sensim minutis factis breviores, ita ut inflorescentia elongata, subspicata fiat. Pedicelli vix 1 1/2 lin. longi. Calycis exterioris foliola setacea, caduca, ut in reliquis; interior 4 lin. longus, laciniis ovatis, basi constrictis, deinde elongato-triangularibus, margine sc. rectilineo.

Inflorescentia multiflora, spiciformi ad *Sph. Berteroanam* mihi accedit, a qua statim pedicellorum brevitate distinguitur.

627. **Sphaeralcea rupestris** Ph. Sph. pilis stellatis *aspera*, canescens; foliis orbiculato-triangularibus, *basi truncatis*, rugosis, crenatis, inferioribus parum lobatis, lobis valde rotundatis, superiorum lobis magis distinctis, medio acuto; pedunculis in foliis supremis 5—8 axillaribus, folium aequantibus, 3—5-floris; floribus subsessilibus; laciniis calycinis triangulari-lanceolatis.

Prope S. Felipe in rupibus legi. — Frutex 2—3-pedalis, ramis virgatis, basi 1 lin. crassis. Folia magis rugosa quam in reliquis, inferiorum petiolus 8 lin. longus; lamina 11 lin. longa, 12 lin. lata. Stipulae bilineares. Pedunculus infimus omnium longissimus, modo $6^1/_2$ lin. longus; pedicelli 1 lin., calyx $5^1/_2$ lin.; corolla calycem bis aequat. Pili stellati longiores, crassiores, magis distantes quam in reliquis, unde tota planta magis aspera apparet. Proxima est *Sph. collinae* mihi, sed foliis supra stellato-asperis nec mollibus velutinis, basi truncatis nec cuneatis absque ullo negotio distinguitur.

628. **Sphaeralcea choapina** Ph. Sph. pilis stellatis tomentosa canescens; foliis *cordato-orbicularibus*, subquinquelobis, crenatis, lobis omnibus etiam foliorum superiorum rotundatis; *pedunculis* axillaribus, *inferioribus valde elongatis foliatis, apice c. 5-floris;* superioribus nudis *subracemosis;* laciniis calycinis ovato-lanceolatis.

Prope Choapa invenit orn. Landbeck. — Frutex 3—4-pedalis, ramis virgatis, basi $1^1/_2$ lin. crassis. Folia inferiora petiolo 4 lin. longo insidentia, 6 lin. longa, 7 lin. lata. Stipulae caducissimae. Ex axilla foliorum medianorum pedunculi s. ramuli 3—4-pollicares surgunt, 1—2 foliis onusti,

apice 3—5-flori, ex axilla superiorum pedunculi bipollicares, racemosi, decemflori, aphylli, e summorum pedunculi breves, pauciflori, quae inflorescentia fere paniculata hanc speciem valde distinguit. Pedicelli breves 1—1 1/2 lin. longi. Calyx 4 1/3 lin. longus, corolla duplo major. — Foliis minutis, cordatis aliisque notis ad *Sph. velutinam* Presl Reliq. Haenk. II. p. 124 accedit, sed inflorescentia longe diversa videtur; a *Sph. collina* mihi, cui propter habitum satis similis, statim foliis cordatis nec cuneatis dignoscitur.

629. Malva parviflora L. Cl. Gay vol. I. p. 298 „cum dubio, ait, hanc speciem in floram recipimus, quia censemus plantam a cl. Hooker et Meyen indicatam potius ad *M. nicaeensem* pertinere.“ Sed *M. parviflora*, foliolis involucri setaceis neque ovato-oblongis facillime a *M. nicaeensi* distinguenda, satis frequens in republica chilensi invenitur; in herbario specimina prope Santiago etc. lecta servantur.

630. Malva laeta Ph. M. 4, herbacea, laete viridis; caule adscendente, pilis stellatis hirsuto; foliis inferioribus longe petiolatis, quinquefidis, lobis profunde incisis, fere bipinnatifidis, foliorum superiorum anguste linearibus; basi calycis dense hirsuta, laciniis vix petala dimidia aequantibus. An. Univ. Chil. 1862. p. 442.

Prope S. Francisco in prov. Talca in elevat. 2070 metr. s. m. invenit orn. Volckmann. — Caulis 8-pollicaris, absque ulla pube breviore. Folia inferiora pedunculo hirsuto, bipollicari insidentia, ambitu orbicularia, diametri pollicis, aeque hirsuta; laciniae foliorum superiorum 1/3 lin. latae. Flores plerique ad apicem caulis congesti, circiter 5; pedunculi 6 1/2 lin.; calyx fere 4 lin., petala 8 lin. longa. Diam. fructus 4 lin.; carpelli hirsuti c. 12. — Differt a *M. purpurea* Lindl. defectu pubis brevioris, quae hanc canescentem facit, pilis

suprema floralia $2^1/_2$ lin. longa, fere setacea, centro viridia, margine lato hyalino. Bracteae late lanceolatae $5^1/_2$ lin. longae, calycem aequantia. Stamina $^2/_3$ laciniarum corollae aequantia. Utriculus calyce persistente inclusus, $2^2/_3$ lin. longus, lanceolatus, albidus. Semen reniforme, dorso marginatum, nigrum, nitidissimum.

1001. **Chnoanthus** *) Ph. novum genus *Amarantacearum Gomphreniedrum*. Flores hermaphroditi, tribracteati, bracteis perigonio simillimis. Perigonium pentaphyllum, scariosum, foliolis basi angustatis et lanatis. Stamina quinque; filamenta in tubum cylindricum coalita, apice libero, filiformi, indiviso; antherae uniloculares, dorso affixae. Staminodia nulla. Ovarium uniloculare, uniovulatum. Stigmata duo, linearia, erecta. Fructus .... Folia opposita. — Differt a *Guilleminia*: perigonio pentaphyllo nec quinquefido, ab *Iresine*: tubo elongato filamentorum et foliolis perigonii villosis; a *Cruzeta*: perigonio pentaphyllo nec tetraphyllo; a *Gomphrena*: filamentorum apice indiviso etc.

Chnoanthus mendocinus Ph. (Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 405.) Chn. annuus; caule ramoso, diffuso, lanato; foliis oppositis, petiolatis, ovato-lanceolatis, utrinque acutis, mucronatis, supra appresse hirsutis, viridibus, subtus magis lanuginosis; glomerulis florum axillaribus, albis.

Prope Mendoza invenit orn. W. Diaz. — Radix alba, simpliciuscula. Internodia prima brevissima, ita ut rami e collo radiatim orti videantur; rami 5—6-pollicares internodia prima elongata ostendunt. Folia inferiora 11 lin. longa, incluso petiolo $3^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata; superiora brevius petiolata, breviora et latiora, $2^1/_2$ lin. lata. Glomeruli florum

*) χνόος Milchhaar, ἄνθος Blume.

plerumque bini in ramis valde abbreviatis terminales, foliis involucrantibus cincti, diam. 3 lin. Bracteae et foliola perigonii 1 1/2 lin. longae, oblongo-obovatae, acutae; columna staminea fere aeque longa, in flore juniore tubus abbreviatus est, antherae longitudine aequat. Antherae dorso affixae, primum oblongae, deinde ovatae et tunc columna stylo longior.

1001 b. **Chenopodium halophilum** Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 67. Ch. herbaceum; caule erecto, ramosissimo, striato; foliis breviter petiolatis, ovato-deltoideis, obtusis, basi cuneatis, margine integerrimis aut sinuosis, subtus albo-farinosis; racemis paucifloris, aphyllis, folio brevioribus; seminibus laevissimis.

Locis arenosis ad flumen Coihuin prope Puerto Montt invenit orn. Doctor Fr. Foneck, et mecum communicavit. — Caulis pedalis. Folia majora 18 lin. longa, 13—14 lin. lata, obtusa, basi in petiolum brevem attenuata, vel cuneata, subsessilia, jam integerrima, jam utrinque in angulum producta, subdeltoidea, inter angulum et apicem sinuatâ, imo uno alterove dente minuto munita. Nervus unicus major in utroque latere. Racemi majores vix 7 lin. longi, circa 20-flori. Semen atrum laevissimum.

1002. **Polygonum Bowenkampi** Ph. P. glaberrimum; radice perenni, crassa, lignosa; ramis herbaceis prostratis; foliis ellipticis lanceolatisve, planis, venosis, obtusis vel acutis; ochreis brevibus, laciniis lanceolatis, interdum demum multifidis; floribus axillaribus, fasciculatis, subsessilibus; achaeniis trigonis, laevissimis.

In Andibus prov. Santiago primus legit ornat. Guillem. Bowenkamp, horto amici Segethi praefectus, deinde et ipse frequens inveni. — Radix saepe 6 lin. crassa, pedem longa, multiceps, lignosa. Rami vix unquam 6-pollicares,

saepe brevissimi. Folia inferiora 6 lin. longa, $1^2/_3$ lin. lata, internodio subaequantia; ochreae 2 lin. longae. — A *P. maritimo* et *P. Sanguinaria* statim: ochreis brevibus, a *P. Berteroano* mihi: radice lignosa, ramis decumbentibus, a *P. aviculari*, cui simillimum: radice lignosa et achaeniis laevissimis differt.

1003. Chorizanthe umbellata Ph. Ch. suffruticosa, basi ramosa, pubescenti-hirsuta, ramis basi foliatis, deinde nudis; foliis lanceolato-linearibus, margine revolutis; floribus umbellatis, umbellae triradiatae ramis dichotomis; involucris solitariis in dichotomia insidentibus, reliquis confertis, reticulatis; dentibus eorum brevibus; flore incluso.

Ad Huanta et Rio turbio prov. Coquimbo invenit orn. Volckmann. — Cortex baseos lignosae rufus. Rami adscendentes, 4 — 5-pollicares. Folia alterna, circa 10 lin. longa, et propter marginem revolutum vix 1 lin. lata; pars nuda ramorum $2^1/_2$ — 3 poll. longa, rami umbellae 1 — 2-pollicares. Involucrum generale triphyllum, foliolis subulatis, apice pungentibus; involucella ad basin ramorum diphylla. Involucrum speciale pubescenti-hirsutum, exquisite reticulatum, sessile, demum $3^1/_2$ lin. longum. Flos vix $1^1/_4$ lin. longus.

1004. Chorizanthe rosea Ph. Ch. caespitosa, fruticosa, fere lanato-villosa; foliis minutis, oblongo-linearibus; pedunculis brevissimis, erectis, dichotomis, cymosis; involucri villosi dentibus acutis, uncinatis; bracteis brevioribus *aristatis*; perigonio pulchre *roseo*.

Prope Quilimari in prov. Aconcagua leg. orn. Landbeck. — Radix multiceps, valde elongata, 5—6 lin. crassa, contorta, rufa vel obscure purpurea, et inferior caulis pars valde lignosae, cortice rufo-fusco; facile secedente tectae. Caespes densissimus ramorum vix pollicem altus. Folia con-

fertissima, modo 2 — 3 lin. longa, $^3/_4$ lin. lata, villis albis tecta. Rami floriferi vix pollicem alti, dichotomi, in dichotomia florem gerentes, purpurei, foliis brevissimis ad ramificationem stipati. Cyma diametri 1 — 1 $^1/_2$ pollicum. Flores satis conferti; involucrum 2 $^1/_2$ lin. longum, dentibus inaequalibus, tribus minoribus, quorum duo saepe uncinati. Perigonium paullo majus quam in reliquis speciebus, glabrum, roseum, post anthesin ut in speciebus perigonio albo praeditis, aurantio-ferrugineum. Bracteae lanceolatae, peracutae, fere pungentes, vix calycem dimidium aequantes, apice, sicut dentes involucri, purpurei. — Ab omnibus speciebus caespitosis sc. *Ch. virgata, pedunculari, Macraei* facillime inflorescentia ramosa, cymosa, nec capitata differt, a sequente: bracteis aristatis, perigonio majore, rosco.

1005, **Chorizanthe flavescens** Ph. Ch. caespitosa, suffruticosa, fere lanato-villosa, cana; foliis linearibus; pedunculis nudis, apice dichotome cymosis; involucri flavescentis, villosi dentibus uncinatis; bracteis *submuticis*; perigonio *albo*.

Prope Hapel crescit; invenit orn. Landbeck. — Pars lignosa nigro-fusca. Folia ejusdem formae ut in priore (et tot aliis), sed majora 3 $^1/_2$ lin. longa, $^3/_4$ lin. lata. Pedunculi dum flores aperiuntur 1 $^1/_2$-pollicares, demum elongati; cymae diam. 15 — 18 lin.; longit. involucri 2 $^1/_2$ lin. Perigonium glabrum, album, dentes involucri vix superans, deinde marcescens, ferruginenm. — Differt a priore, quacum habitu, caespite denso, humili et inflorescentia cymosa convenit: cortice fusco-nigro; foliis longioribus; pedunculis demum elongatis; dentibus perigonii apiceque bracteatum flavis nec purpureis; apice bractearum longe breviore; perigonio minore, albo.

1006. **Chorizanthe dasyantha** Ph. — Ch. caule suffruticoso, ramosissimo, erecto, albo-villoso; foliis linearibus, argenteo-sericeis; cymis dichotomis foliatis; involucri *dense lanati dentibus* valde uncinatis, *in fructu excrescentibus*. Specimen ab orn. Landbeck prope S. Felipe de Aconcagua lectum 9 poll. altum est. Folia 7 lin. longa, $^2/_3$ lin. lata, internodia bis aequantia, margine revoluta, ut in reliquis speciebus, omnia fasciculum foliorum in axilla foventia, juniora exquisite sericea, adulta magis viridia. Cymae longe minus divisae quam in *Ch. paniculata*; rami inaequales, major modo 20 lin. longus. Bracteae foliis similes, omnino *muticae*, $^1/_2$ — $^2/_3$ involucri aequantes. Involucrum sub anthesi $2^1/_2$ lin. longum, dentibus purpureis, valde uncinatis, in fructu vero $3^1/_4$ lin. longum, dentibus nempe excrescentibus et tunc tubum aequantibus. Perigonium pallide roseum glaberrimum. — A *Ch. ramosissima*: pedunculis dichotomis nec trichotomis, involucro lanato nec sericeo, perigonio glabro nec villoso satis superque differt; a *Ch. paniculata* (= *Trigonocarpo secundiflora* Bert.): pubescentia, pedunculis flores pauciores gerentibus, dichotomis nec trichotomis, dentibus involucri brevibus etc. differt.

Observ. Quomodo dentes involucri in *Ch. paniculata mutici* dici possunt, uti ait cl. Remy in op. Gayi V. p. 286, non intelligo; in specimine Berteroano saltem in spinam longiusculam, uncinatam terminantur.

1007. **Chorizanthe tenuis** Ph. Ch. suffruticosa, sericeo-villosa; ramis elongatis, gracilibus, debilibus, decumbentibus; *foliis* anguste lineanibus, *internodio multo brevioribus*; cymis dichotomis, laxis; foliis floralibus flores superantibus; dentibus involucri longe hirsuti aristatis, demum erectis. Prope Arqueros et la Serena legit cl. Gay. — Rami, qui suppetunt, pedales, *basi modo* $^2/_3$ *lin. crassi*; internodia

usque ad 30 lin. longa, sed folia maxima modo 18 lin. longa, $^2/_3$ — $^3/_4$ lin. lata. Folia ad basin dichotomiae 7 lin. longa, magis mucronata. Flos in angulo dichotomiae collocatus $3^1/_3$ lin. longus, dentibus lanceolatis, breviter aristato-spinosis; flores superiores modo $2^1/_2$ lin. longi; dentes perigonii nunquam uncinati. — Species ramis debilibus, filiformibus, internodiis elongatis etc. distinctissima.

1008. **Cryptocarya stenantha** Ph. Cr. foliis suboppositis, ovato-ellipticis, apice nonnihil acutis, coriaceis, subtilissime reticulatis, glabris, supra viridibus, subtus glaucis; *panicula glaberrima; tubo perigonii angusto, cylindrico.*

Prope Valparaiso Decembri 1862 florentem inveni. — Folia hujus mihi cum illis *Cr. Peumi* differentiam non ostendunt; ad summum paullo brevius petiolata et apicem versus angustiora, supra paullo nitidiora sunt, sed flores valde diversi. Etenim in *Cr. Peumo* secundum Gay V. p. 300. (opus Neesii eheu! mihi adire non licet) „pedunculi villositate aliqua onusti; pedicelli lineam longi, *villosi;* perigonium *infundibuliforme, utrinque villosum*, $1^1/_2$ — 2 lin. longum, *ejusdem diametri;* laciniae limbi *tubum aequantes*“, et sic in speciminibus Santiaginis pedunculum et ramificationes ejus dense puberulos, perigonium omnino puberulum (non villosum) tubum obconicum, lacinias tubum aequantes video. Sed in *Cr. stenantha* pedunculus ejusque rami nec non perigonium totum extus *glaberrimi*, perigonii tubus anguste cylindricus, laciniae ejus vix dimidium tubum aequantes, modo intus villosulae sunt.

1009. **Cryptocarya nitida** Ph. Cr. foliis suboppositis, ovatis, breviter petiolatis, valde coriaceis, supra nitidis, subtus vix pallidioribus, *haud reticulatis;* paniculis axillaribus (folio brevioribus) paucifloris; pedicellis puberulis; perigonio brevi, *turbinato, glaberrimo.*

Ad radicem Andium in prov. Santiago Nov. 1862 legi. — Haec species foliis a *Cr. Peumo* et *stenantha*, glabritie florum a *Peumo*, forma eorum a *stenantha* recedit. — Folia majora 17 lin. longa, 11 2/3 lin. lata, petiolo 1 1/4 lin. longo insidentia, exacte ovata, sed basis in petiolum diducta; nervus medianus rufescens, prominens; nervi laterales utrinque sex, ut in reliquis, sed reticulum densum tenue, quod in *Cr. Peumo* et *stenantha* conspicitur, nullum. Paniculae (an semper?) modo 7 lin. longae, 6 — 10-florae; pedicelli 1/2 — 1 lin. longi, puberuli. Perigonium tubo brevi, turbinato, diametri 1 1/2 lin., vix 1 1/2 lin. longum; laciniae limbi tubum aequantes, imo fere superantes, ovatae, *extus intusque glaberrimae*. Stamina 9, sex exteriores laciniis opposita latiora, tria interiora, staminibus alternis opposita, angustiora.

1010. Bellota Miersii Gay.

Fructus cl. Gay incognitus remansit; Martio 1863 eum accepi, et quidem varietates duas, purpureum sc. et luteum, et cum etiam in foliis differentiae etsi leviores adsint, forte species duae distinguendae. *Fructus ruber* 2 poll. longus, 14 lin. crassus, ellipsoideus, basi paullulum attenuatus. Sarcocarpium vix 3/4 lin. crassum, albidum, endocarpium membrana satis tenuis, mollis. Embryo igitur maximus, albus, cotyledones maximae, radicula supera, 2 lin. longa, plumula minima. *Fructus luteus* similis, 25 lin. longus, 13 lin. crassus, igitur paullo angustior, basi longius attenuatus. — Observatio mea de florum structura non omnino cum verbis cl. Gay hist. Chil. Bot. V. p. 298 quadrat. Panicula subtrichotoma, 3 1/2 poll. longa, usque ad medium nuda. Perigonium turbinatum, 1 1/2 lin. longum, diametri 1 1/2 lin., sexpartitum, extus appresse pubescens; laciniae tres exteriores late ovatae, apice acuminato, inflexo, fusco-purpureo; laciniae tres interiores paullo latiores, apice rotundatae; omnes intus basi

longe hirsuti. Stamina exteriora sex iis opposita et multo breviora, filamento brevissimo, anthera ovata, biloculari, valvis dehiscente constant. Glandulae sex, per paria approximatae, staminibus tribus alternis oppositae, purpureo-fuscae, breves, extus medio tuberculatae. Stamina interiora quovis glandularum pari opposita, exterioribus similia. Staminodia cum iis alternantia formam squamulae lanceolatae, apice fusco-purpureae, longe ciliatae exhibent. Ovarium anguste ovatum, fundo perigonii dense hirsuto fere immersum, sensim in stylum brevem, stigmate subcapitato coronatum abit et staminibus paullo brevius est.

1011. Adenostemum nitidum? Pers., incolis *Quenla*. De ovario et fructu haec apud cl. Gay l. c. p. 305 legimus: „Ovarium perparvum, ovatum, biloculare; ovulo in quovis loculo solitario et ex apice pendulo. Stylus subulatus, subcompressus, utrinque sulcatus, stamina aequans, stigmatibus duobus, interdum tribus terminatus. Drupa obovata, carnosa, durissima (sc. endocarpium), unilocularis, (h. e. abortu) monosperma, perigonio cincta; semen subcompressum. „Hos characteres cl. Decaisne in fructu hujus generis perparum cogniti eruere potuit.“ Ornatissimus Doctor Franc. Xaverius Tocornal Martio 1862 multos „*Quenles*“ in mercatu oppidi Tomé venales mihi attulit, in quibus haec vidi: Fructus luteus, 16 lin. longus, 13 lin. crassus, exacte ellipsoideus. Caro 3 lin. crassa, pallide flava, solida, edulis, haud ingrata, aliquantulum aromatica; pars exterior $^2/_3$ lin. crassa obscurius flava, forte ex perigonio orta? Styli vestigium haud clarum. Putamen ovatum, superius magis minusve acuminatum, diametri 7—7 $^1/_2$ lin., 9—10 $^1/_2$ lin. longum, crassum, perdurum, fuscum, foveolis linearibus vermiculatis nonnullis, et lineis impressis longitudinalibus tribus (raro duabus) notatum. Sectio transversa ope serrae facienda est propter dura

tiem, et putamen *triloculare* sed abortu semen unicum excentricum ostendit. Hoc ovatum, basi acuminatum, valde compressum $5^1/_2$ lin. longum, membrana alba vestitum. (Testa ad depositum tenuissimum fuscescens vix membrana vocandum reducta esse videtur, nisi cum tunica coalita est.) Sectio longitudinalis *albumen magnum* et embryonem parvum in parte inferiore situm, radicula infera ostendit.

Ex his patere videtur, arborem *Queule* dictum, ovario triloculari, albumine copioso, radicula infera praeditam, ex ordine *Laurinearum* removendam esse. Sed utrum alteri ordini adscribenda sit, an proprium ordinem constituere debeat, magistri scientiae doceant. — Flores nondum vidi.

1012. Aristolochia Pearcei Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. I. p. 68. A. herbacea, foliis reniformibus, obtusis, aliquantulum triangularibus; pedunculis solitariis axillaribus; perigonio *virescente*, parum incurvo, *supra basin globosam valde constricto;* labio ovato, *acuto*, intus albido-piloso.

Specimen prope Chillan? lectum mecum communicavit ornat. R. Pearce. — Caules ramosi, striati, glabriusculi. Petioli pubescentes, 11 lin. longi; folia $13^1/_2$ lin. longa, 23 lin. lata, reniformia, subtus puberula, illis *A. chilensis* Miers similia, sed margo anticus minus circularis, utrinque magis rectilineus. Flores axillares, solitarii ut in illa; pedunculus petiolum subaequans, ut saepe in Chilensi, nam non semper, uti cl. Gay vult, pedunculi fere bis petiolos aequantes huic sunt, sed glabriusculus. Perigonium ut in *A. chilensi* 3 poll. longum, sed minus incurvum, sordide virens; in luteum vergens, purpureis venis pictum, *supra basin inflatam valde constrictum*, deinde sensim dilatatum; labium *acutum*, 17 lin. longum.

1013. Arjona tuberosa Cav. Diagnosis ex mea sententia haec est: A. foliis rigidis, subimbricatis, *erectis*, *subu-*

lato-linearibus, *tomentosis;* floribus laxe corymbosis, hirsuto-tomentosis; tubo perigonii bracteam ovatam brevem bis aequante. Cavan. Icon. t. IV. p. 57. fig. 383. optime, non *A. tuberosa* Gay.

Habitat in Patagonia ad Port Desiré, Cavan., prope Mendoza Wenc. Diaz. — Folia inferiora modo 2 lin. longa, omnia perangusta, erecta, haud recurva. Bracteae modo $3^1/_4$ lin. longae; tubus perigonii $6^1/_2$ lin. longus.

1014. Arjona andina Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. p. 32. A. foliis rigidis imbricatis, plerisque recurvis, *late linearibus*, *glabriusculis*, exquisite quinquenerviis; tubo perigonii bracteam ovatam, elongatam, trinerviam sesquies aequante. — *A. tuberosa* Gay V. p. 322. non Cavan.

Habitat in Andibus chilensibus: Hurtado, Agua amarilla provinciae Coquimbo, S. Fernando, Linares.

Foliis latis, exquisite nervosis, glabriusculis, fere omnibus recurvis, statim ab antecedente distinguitur. Folia 6 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata; bracteae $4^1/_2$ lin. longae; tubus perigonii 6 — 8 lin. longus, et aeque hirsutus est atque in specie priori.

1015. Arjona longifolia Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 405. — A. caule exquisite sulcato-striato, *apice nudo*, *villoso;* foliis rigidis, potius distantibus, elongato-linearibus, nervosis, *glaberrimis;* tubo perigonii bracteam ovatam, brevem bis aequante.

Prope „S. Rafael“ in prov. Mendoza leg. ornat. Wenc. Diaz. — Folia 10 lin. longa, 1 lin. lata, sessilia, haud semiamplexicaulia, superiora usque ad 16 lin. longa. Pars nuda pedunculi $1^1/_2$ — 2-pollicaris. Bracteae 3 lin. longae, ovatae, minus nervosae, minus pungentes, ut in antecedentibus villosae. Tubus perigonii 6 lin.

1016. Arjona appressa Ph. A. dense *arachnoideo-lanosa;* foliis lanceolatis, trinerviis, inferioribus distantibus, subreflexis, superioribus appressis, fere imbricatis; floribus . . . .

Habitat in Patagonia occidentali ad pedem Andium „de Ranco“ dictarum, ubi legit orn. Guill. Cox; incolis *Yauyehuin* audit. — Radices filiformes tubercula edulia, oblonga, 10 lin. longa, 5 lin. crassa gerunt. Rami in specimine, quod suppetit, 4—5-pollicares, folia 4 lin. longa, ½ lin. lata. Flores non adsunt. *A. tuberosae* Cav. proxima, sed differt: foliis duplo latioribus, magis hirsutis, superioribus appressis, fere imbricatis. Ab *A. patagonica* Hombr. et Jacq. secundum specimen e freto Magellanico differt: foliis appressis, longe magis hirsutis, habitu valde alieno; minor adhuc similitudo cum *A. andina* et *longifolia*.

1017. Quinchamalium minutum Ph. Anu. Univ. Chil. 1862. p. 61. Qu. annuum, parvum; foliis confertis, linearibus, carnosulis; fructu subgloboso, ecostato; perigonii extus viridis, intus lutei laciniis tubum brevem aequantibus; staminibus inclusis, stylo exserto.

In prov. Talca ad locum „Potrero grande“ dictum 2100 metr. s. m. legit orn. H. Volckmann. — Rami plures ex eadem radice, circa 2-pollicares. Folia majora 7 lin. longa, ½ lin. lata. Calyculus 1 lin. longus, tridentatus, inflatus; perigonii tubus 1⅔ lin. longus. — Simillimum *Qu. parviflora* mihi, sed facillime: colore lacte luteo paginae interioris perigonii et calyculo inflato libero, in fructu maturo fragili distingnitur.

1018. Quinchamalium rugosum Ph. Qu. 2., foliis anguste linearibus; floribus gracilibus; calyculo valde dentato, angulato, *basi et in angulis exquisite rugoso;* laciniis pe-

rigonii lineari-lanceolatis, dimidium tubum fere superantibus; staminibus exsertis, sed lacinias non aequantibus.

Prope Illapel legit orn. L. Landbeck. — Radix 1 1/2 lin. crassa, simplex, lutescens. Caules multi ex collo radicis, decumbentes, tenues, purpurascentes. Folia majora 15 lin. longa, saepe duplo breviora, submucronata. Tubus perigonii 2 1/3 lin. longus, laciniae 1 1/3 lin.; color extus purpurascens, demum virescens, intus aurantiacus; antherae citrinae. Fructus immaturus exquisite angulatus, anguli et tota basi fructus transversim rugosi; dentes calyculi valde prominentes. — Species fructu angulato et habitu cum *Qu. gracili* Ph. convenit, sed foliis paullo latioribus, floribus extus purpureis et fructu rugoso satis differre videtur.

1019. **Quinchamalium litorale** Ph. Qu. (2 aut ⊙?) foliis linearibus, *carnosis*, mucronatis; calyculo subgloboso, haud costato; tubo perigonii *crassiusculo*, laciniis lanceolatis, dimidium tubum aequantibus; staminibus exsertis sed lacinias perigonii haud aequantibus; stylo demum lacinias aequante.

Prope „los Molles“ in parte litorali prov. Aconcagua legit orn. Landbeck. — Rami decumbentes, circa 9-pollicares. Folia majora 9 lin. longa, 1 lin. crassa. Perigonii tubus 2 lin. longus, laciniae 1 1/6 lin.; tubus extus viridis aut viridi-purpureus, intus laciniae citrinae. Calyculi diametrus transversa major quam altitudo, forma igitur globoso-depressa; linea exterior ejus prominens; dentes minuti. — Pluribus plantis si in litore crescunt folia carnosa fiunt, an igitur modo forma litoralis alius speciei? sed cujus? a *Qu. crasso* mihi Flor. atac. laciniis perigonii brevioribus differt.

1020. **Urtica diplotricha** Ph. U. erecta, orgyalis, pilis brevibus mollibus appressis pubescens et setis urticariis hispida; foliis oppositis, ovato-lanceolatis, grosse serratis; dente

ultimo lineari, producto; spicis axillaribus, verticillatis, folio brevioribus, interrupte glomeratis, dioicis.

Prope Concumen in prov. Aconcagua crescit. — Caulis secundum orn. Landbeck 8-pedalis; summitates pedales ♂ modo suppetunt. Folia majora in his 3 poll. longa, 18 lin. lata, petiolo 12 lin. longo insidentia, dentibus utrinque c. 18. Stipulae oblongae, obtusae, 3 lin. longae. Spicae modo bipollicares; glomeruli praeter setas filis crassioribus apice truncatis, longitudine pilos calycesque aequantibus cincti. — Differt ab *U. pseudodioica* Stend.: caule vix ramoso, foliis serratis nec crenato-dentatis, verticillis folio brevioribus, et ab *U. molli* ejus: spicis omnibus unisexualibus, pilis majoribus valde urentibus.

1021. **Urtica Berteroana** Ph. U. annua; caule 6—9-pollicari, erecto, ramoso, inter setas glaberrimo; foliis oppositis, longe petiolatis, ovatis, profunde crenato-dentatis; petiolis *setosis*; glomerulis florum axillaribus *subsessilibus*, monoicis; foliolis perigonii pubescentibus *inermibus*.

Prope Colina et Quilapilun in prov. Santiago, prope Catemu in prov. Aconcagua inveni. — Petioli 5 lin. longi; folia 6—7 lin. longa, 5—6 lin. lata, dentibus circa 6 utrinque. Perigonium pubescens, $^3/_4$ lin. longum, foliolis florum ♂ aequalibus, florum ♀ apice seta destitutis; achaenia laevia. Utrum caulis quadrangularis an teres sit in planta viva annotare neglexi, in specimiuibus siccis cognosci non potest. Setarum pars basalis longe brevior, apicalis multo longior quam in *U. urente* simillima, a qua praeterea differt: partibus omnibus minoribus, setis longioribus, saepe geminatis ternatisque, petiolis hispidis (in speciminibus *U. urentis* chilensibus, quae ante oculos habeo saltem glaberrimi sunt), glomerulis florum subsessilibus; foliolis calycinis ♀ seta destitutis.

1022. Fagus valdiviana Ph. F. foliis ovato-oblongis, basi obliquis, obtusis; *margine sinuato-dentatis, caeterum integerrimis, fere glaberrimis;* cupulis capsuliformibus, muricatis, quadripartitis, trispermis; fructibus medianis *aeque latis ac longis, late alatis, apice alarum acuto, divaricato.*

Habitat in prov. Valdivia, ubi arbor ab indigenis *Coyam*, lignum adultum rubrum *Pellin*, novum (et arbor junior) *Hualle* vocatur, hispani vero *Roble* (*Robur*) vocant; ab omnibus cum *F. obliqua* Mirb. in prov. centralibus usque ad Concepcion crescente confunditur. Sed non solum folia et fructus sed etiam materia diversae. — Arbor altitudinem 150 pedum, truncus diametrum 3 pedum attingit. Foliorum magnitudine et forma generali cum *F. obliqua* convenit, sed differt: foliis primo adspectu glaberrimis, accuratius inspectis parcissime quidem in nervorum basi pubentibus, sed nunquam subtus omnino pubescentibus, margine dentato-sinuato, caeterum integerrimis neque argute denticulatis; cupulis minoribus, vix 3 lin. longis (in *F. obliqua* fere 4 lin. longae sunt); nuculis latioribus, latius alatis, apice alarum acuto, divergente, inspice fig.

Fagus obliqua Mirb. *Fagus valdiviana* Ph.

1. nucula *F. obliquae*, 2. nucula *F. valdivianae*, *a.* magnit. natural., *b.* auctae. — Nervi foliorum utrique 7—8; folia superius minus nitida, nervi secundarii magis ramosi, reticulum densius formantes.

1023. Fagus pumilio Poepp. — V. etiam Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 384.

Cum in descriptionibus cll. Poeppig et Gay fructus

mentio desideretur, quae ipse observavi indicare supervacaneum non videbitur. — Arbor in Andibus „de Chillan“ dictis regionibus superioribus ab elevatione c. 5000 p. supra mare inde frequentissima, ab incolis *Nivee* dicta, ubi nivem perpetuam tangit, humilis, a radice ramosissima, fruticosa; aliis locis truncum 60-pedalem, 3 pedes crassum projicit, cui cortex valde ramosus, ut in *F. procera;* in ramis novis vero cortex satis laevis, nitidus, cinereus. Flores masculi *solitarii*, sessiles, axillares; perigonium turbinatum, $2^1/_2$ lin. longum, sordide flavescens, pubescens, laciniis 5 — 7 formatum; filamenta exserta, capillaria, perigonium bis aequantia (in speciminibus junioribus mensi Decembri lectis flores ♂ tantum video, quorum filamenta perigonium vix aequant; antherae 15 — 20, lineares, perigonium aequantes. In floribus foemineis cupula sessilis, *bipartita, laciniis lineari-setaceis*, $3^1/_2$ lin. longis, puberulis, dorso *lacvibus, inermibus*, squamis duabus brevibus, latis, obtusis; (an igitur cupula quadripartita, laciniis maxime inaequalibus?). Nucula *unica*, immatura triquetra, ovata, pubescens, 4 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, stigmatibus tribus terminata. — Certo propter flores masculos solitarios neque in amentum aggregatos, cupulamque monocarpam sectionem propriam generis *Fagi* constituere debet.

1023 b. Euphorbia Peplus L.

Jam in hortis Santiaginis frequens ideoque inter plantas Chilenses recensenda.

1024. Avellanita Ph. novum genus *Euphorbiacearum Croto-nearum.*

Flores pauci, terminales, haud spicati, paniculative, monoici. *Masc.* calyx quinquepartitus; stamina numerosa, in globum coalita; antherae biloculares. *Fem.* calyx quinquepartitus; ovarium sessile, triloculare, loculis uniovulatis; ovula

pendula; styli tres, distincti, filiformes, persistentes. *Capsula* depressa, trirocca, coccis rotundatis; epicarpio viridi abendocarpio tenui, crustaceo-lignoso accedente. *Semina* subglobosa, exarillata. — Frutex haud lactescens, foliis alternis stipulatis.

Species unica quae mihi innotuit *A. Bustillosi* vocetur, ab orn. Dom. Vincentio Bustillos in prov. Colchagua lectâ est. Pueri semina, quae *avellanitas* vocant, comedunt. — Frutex 2—3-pedalis; rami laete virides, teretes. Folia internodia plerumque bis aequantia, petiolo 2 lin. longo insidentia, oblongo-lanceolata, circa 22 lin. longa, 9 lin. lata, integerrima, fere triplinervia, juniora sparsim pilosula. Stipulae minimae, circa 1 1/4 lin. longae, triangulares, margine scariosae, ibique rufae, ciliatae. Flores terminales tres ad quatuor, unus ♀, reliqui ♂, bracteis linearibus, 3—4 lin. longis circumdati; folia floralia fere verticillata, post anthesin ramos 2 vel 3 emittunt. Pedunculus *floris* ♂ demum 3—5 lin. longus, debilis, pubescens; segmenta calycina quinque, lanceolato-linearia, 3 1/2 lin. longa, circa 2 lin. lata, saepe inaequalia, pubescentia, herbacea, patentia? alabastrum globosum, laciniis valvatis fere mammillam formantibus. Antherae numerosae (in alabastro pallide fuscae) in globum congestae ut in *Ricino*; filamenta singula propter conditionem speciminum distinguere non potui, extremitas eorum filiformis; antherae biloculares, loculo utroque globoso. *Flores feminei* pedunculo 3 — 4 lin. longo, erecto, demum incrassato insident; calyx quinquepartitus, segmentis lineari-lanceolatis, erectis, demum patulis, paullo minoribus quam in flore ♂, nempe 4 lin. longis, 1 1/4 lin. latis. Ovarium globosum, dense puberulum, stylis tribus erectis, 4—5 lin. longis coronatum. Fructus diametri 8 lin., altit. 6 lin., viridis, pubescens, stylis persistentibus coronatus. Semina laevia, pallide fusca, signa-

tuyis nigris marmorata, exarillata. Nucleus pendulus; embryo rectus anatropus; cotyledones subrotundo-ovatae.

1025. **Triglochin striatum** R. et P. var.?

E loco „Punta negra" dicto prov. Copiapó orn: Volckmann specimen attulit fructiferum, tripollicare, foliis 1/3 lin. latis, scapum aequantibus, cui capsulae *subsessiles*, in spicam *densam* aggregatae, *stylis destitutae*. Sperici suae R. et P. capsulam stigmatibus coronatam attribuunt. *Trigl. montevidense* Spr. scapum *racemorum* foliis breviorem, ideoque capsulas longius pedicellatas habet, uti in speciminibus Valdivianis observatur, quibus capsula stylis coronata.

Specimen prope Llico lectum scapum pedalem, capsulas pedicello 1 1/2 lin. longo insidentes, igitur *racemosas*, sed stylis coronantibus destitutas, folia scapo paullo longiora 1 1/2 lin. lata habet; an tertia species? Propter scapum „racemosum" ad *Tr. montevidense* potius, quam ad *Tr. striatum* pertinet cui „spica" coarctata.

1026. **Lemna valdiviana** Ph. L. foliis minutis, oblongis, utrinque planis, basi cohaerentibus, radicibus ternis.

In stagno quodam praedii mei S. Juan dicti mense Januario inveni. — Folia longitudine diametrum ter aequantia, majora 1 1/2 lin. longa. Differt a *L. minima* Humb.: foliis longioribus polyrrhizis, a *L. oblonga* mihi: foliis polyrrhizis, an status magis explicatus?

1027. **Habenaria brachyceros** Ph. H. foliolis calycinis lateralibus deflexis; laciniis petalorum lateralium recurvis; labelli trifidi laciniis setaceo-linearibus, calyce vix longioribus, calcare obtuso, calycem vix superante, ovario multo brevioribus. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 59.

Prope Valdiviam invenit orn. Herm. Volckmann. — Tuberculum, quod in uno specimine adest, elongatum, 8 lin.

longum, 3 lin. crassum. Caulis 6—8-pollicaris, fere usque ad apicem foliatus; folia inferiora fere 3 poll. longa, 6 lin. lata, superiora sensim in bracteas transformantur. Spica circa 10-flora, laxa, elongata. — *H. Germaini* mihi simillima, sed facile calcaris brevitate distinguenda.

1028. Chloraea pogonata Ph. Chl. foliis brevibus, caule vaginato, 3—5-floro; bracteis ovato-lanceolatis, flore brevioribus; sepalo superiore lineari, galeato, lateralibus apice incrassatis et *supra barbatis;* petalis sepalo parum brevioribus, linearibus, falcatis; labello aurantiaco, basi vix unguiculato, trilobo, lobis lateralibus, rotundatis, subintegerrimis, intermedio acuto, margine dentato; *tota superficie pilis brevibus barbata.*

Prope „los Molles“ in prov. Aconcagua leg. ornat. L. Landbeck. — Caulis 9 poll. altus. Folia emarcida 3 poll. longa, 9 lin. lata. Bractea inferior 12 lin. longa, 5 lin. lata. Ovarium 7 lin. Sepalum superius 9 lin. longum, 1 ½ lin. latum, venis 5, exterioribus ramosis; *lateralia* aequilonga ac lata, arcuata, in *apice incrassato supra filis viridibus barbata*, quae nota, quantum scio, in nulla alia specie observatur. Petala lateralia 8 lin. longa, 1 ¾ lin. lata, venis 7, lateralibus, parum ramosis, infimis valde abbreviatis, virescentibus; in parte inferiore et interiore rarius nonnullae. Labellum 8 lin. longum, fere 5 lin. latum; lobi laterales pallidi, venis multis viridibus, omnibus ciliatis, ornati; in lobo medio aurantiaco venae vix conspicuae, sed ciliae majores, magis conspicuae, omnes compressae, subfalcatae, apice virides. Gynosteminm 6 ½ lin. longum.

1029. Chloraea spectabilis Ph. Chl. foliis caule brevioribus; caule omnino vaginato; spica laxa, grandiflora; bracteis ovato-lanceolatis, inferioribus flores superantibus;

sepalo superiore anguste lanceolato, lateralibus multo longioribus, apice virescentibus; petalis superioribus oblongis, sublanceolatis, sepalo multo brevioribus, ima basi glandulosis; labello petala superante, *ovato*, acuto, margine inferiore glanduloso, superiore dentato, in parte basali lamellis falciformibus tecto.

Specimen in praedio meo S. Juan Octobri lectum mecum communicavit filius Fridericus. — Caulis 15 pollices altus. Folia 4 poll. longa, 1 poll. lata. Flores albi, cum ovario 27 lin. longi, igitur inter majores generis. Bracteä inferior 30 lin. longa, 8 lin. lata; ovarium 8 lin. Sepalum superius 16 lin. long., 3 lin. latum, venis 5 — 6; lateralia 20 lin. longa, basi $3\frac{1}{3}$ lin. lata, apice obtusa, venis tantum tribus. Petala 13 lin. longa, $4\frac{1}{2}$ lin. lata, venis 5, externa quoque valde ramosa; glandulae virides in basi ima. Labellum 15 lin. longum, 8 lin. latum, basi in unguem angustatum; venae centrales 7, lamellis perangustis, falcatis, fere usque ad medium onustae, lamellae falcatae in venis lateralibus baseos perparvae, fere variciformes, usque ad marginem continuatae. — Differt a *Chl. semibarbata* Lindl.: sepalo supremo angusto, labello haud trilobo, acuto, haud obtuso etc., a *Chl. fimbriata* mihi: magnitudine florum, tempore florendi (*Chl. fimbriata* sero, Februario, floret), labello diverso etc.

1030. **Chloraea cygnea** Ph. Chl. caule vaginato; floribus paucis, magnis, albis, sepalis linearibus, acutis, lateralibus apice haud incrassatis; petalis brevioribus, latioribus; labelli petalis parum brevioris, *suborbicularis*, *trilobi*, basi leviter cuneati lobo medio latiore, inciso-dentato, disco lamellis falciformibus obsito, lobis lateralibus multivenosis, venis baseos appendiculato-varicosis.

Prope Talcahuano initio Januarii pauca specimina legi. — Caulis 1 — $1\frac{1}{2}$-pedalis, basi 3 lin. crassus. Folia plera-

que radicalia; lamina caulinorum inferiorum brevis, acuta, 1½ poll. longa, ¾ poll. lata. Bracteae membranaceae, albidae, peracutae, ovarium subaequantes. Sepalum superius 15 lin. longum, 2¼ lin. latum, nervis quinque; lateralia vix 2 lin. lata, caeterum aequalia, apice haud incrassata, sed ibi sicut superius fuscescentes. Petala 12 lin. longa, 4 lin. lata, obtusiuscula, margine subundulata, nervis simplicibus, in basi circa 7, lateralibus dichotomis vel furcatis. Labellum 11 lin. longum, 10 lin. latum; nervi partis centralis basi 7, in lobo terminali dichotomi, in parte basali appendicibus magnis, falcatis obsiti; venae loborum lateralium demum numerosissimae, densissimae, appendicibus longe brevioribus velut varicosae. Gynostemium 8 lin. longum, rostratum.

1031. Chloraea Pavoni? Lindl. *).

Specimen huc refero in prov. Colchagua a Landbeckio lectum, cui caulis 2—2½-pedalis, basi foliatus, dein vaginatus, folia 15 lin. lata, ut videtur brevia, spica circa 5-pollicaris, densa, subvigintiflora. Bracteae ovatae, lanceolatae, scariosae, venosae, parum reticulatae, ovarium aequantes. Ovarium 5½ lin. longum. Sepala subsimilia, lanceolata, lateralia fere linearia, sc. apice latiora quam superius, sed nec truncata, neque incrassata, 6½ lin. longa. Petala parum breviora, sepalis simillima. Labellum croceum, ⅔ sepalorum aequans, recurvum, basi cuneatum, fere obovatum, trilobum, lobis lateralibus integerrimis, intermedio margine laciniato-dentato. Venae quinque centrales, basi lamellis, a medio inde autem processibus falcatis onustae, et quidem tres interiores usque ad apicem. In lobis lateralibus venae tres basales, hinc inde verrucoso-incrassatae. Partes incrassatae obscure virides.

---

*) Opus Lindleyi eheu! consulere non possum, et quae de hac specie cl. A. Richard apud Gay dicit nimis brevia sunt.

In varietate? cum priore lecta tota pars mediana labelli filis hirsuta et omnes loborum lateralium venae hinc inde verrucoso-incrassatae. Nec lobi mediani labelli venae longitudinales sunt, sed medio angulum formant, caeterum inter se parallelae. An species propria?

1032. Chloraea dasypogon Ph. Chl. caule pedali, basi tantum foliato; spica 2 — $2^1/_2$-pollicari, 6 — 10-flora, sat densa; bracteis ovato-lanceolatis; sepalo superiore $8^1/_2$ lin. longo, ovato-lanceolato, acuminato; lateralibus vix longioribus, paullo angustioribus, apice incrassatis, angustatis; petalis paullo brevioribus, oblongo-ellipticis, obtusis; venis earum nudis; labello longitudine petalorum, suborbiculari, vix trilobo, versus apicem inciso-dentato; luteo, centro setis densissime tecto.

E provincia Colchagua specimina duo attulit orn. Landbeck. — Sepala $8^1/_2$ lin. longa, petala 7; labellum 7 lin. longum, 6 lin. latum; bracteae jam florem subaequant, jam vix ovario longiores sunt. — Differt a *Chl. barbata* Lindl., pro qua primum habui: petalis minime „margine anteriore venisque papillosis“, a *Chl. campestri* Poepp.: labello orbiculari neque elliptico lanceolato, et flore majore; a *Chl. crispa* Lindl.: labello usque ad apicem integro, centro dense setoso, sepalis lateralibus incrassatis; a *Chl. Poeppigiana* A. R.: labello latiore, haud rhomboidali, filis longis, densis, tenuibus obsito, neque cristis quinque dentatis.

1033. Chloraea Pearcei Ph. Chl. caule $1^1/_2$-pedali, basi tantum foliato, foliis parvis; spica paucillora, densa; floribus aureis; sepalo superiore late lanceolato, plano; lateralibus aequalibus, angustioribus, apice incrassatis, obtusis; petalis oblongo-ovatis, obtusis, $^3/_4$ sepalorum aequantibus; labello suborbiculari, vix trilobo, margine denticulato, apice

incrassato; centro lamellis falciformibus obsito, in ambitu lamellis minus elevatis; variciformibus.

„In planitie ad radicem Andium de Ranco dictarum prov. Valdiviae rara!“ orn. R. Pearce. — Caulis usque ad apicem vaginatus, basi tantum foliatus. Folia, quae supersunt, vix 5 poll. longa, 10—12 lin. lata. Spica 12-flora. Bracteae ovato-lanceolatae, ovarium paullo superantes. Sepalum superius 11 lin. longum, $3\frac{2}{3}$ lin. latum, 5-nerve, parum reticulatum; lateralia quadrinervia, 3 lin. lata. Petala $8\frac{1}{2}$ lin. longa, $3\frac{1}{3}$ lin. lata, 5-nervia. Labellum 7 lin. longum, 6 lin. latum, nervis quinque falciferis. Gynostemium elongatum. — Differt a *Chl. aurea* mihi: lamellis falciformibus longe minoribus, glandulis s. verrucis nullis in petalis etc., a *Chl. Pavoni* ? Lindl.: floribus duplo majoribus, sepalis lateralibus incrassatis etc.

1034. Chloraea litoralis Ph. Chl. caule fere usque ad apicem foliato; foliis oblongo-lanceolatis, erectis, acutis, dimidium caulem aequantibus; spica 2—4-pollicari, sat densa; floribus luteis, viridi-nervosis; sepalis subaequalibus, lateralibus paullo longioribus, longius acuminatis, subfalcatis, apice haud incrassatis; petalis oblongo-ellipticis; $\frac{3}{4}$ sepalorum aequantibus; in venarum basi verrucosis; labello profunde trilobo, *vix dimidium sepalorum superante*, lobis lateralibus rotundatis, venarum basi incrassata, lobo mediano lanceolato, in margine et toto disco verrucoso; gynostemio clavato, labellum haud aequante.

In rupibus prope Corral, Valdiviae portum, invenit orn. Krause. — Caulis 9—12-pollicaris. Folia 5—6 poll. longa, 10 lin. lata, sensim minora in bracteas abeunt; bracteae ovato-lanceolatae, ovario parum longiores. Flores cernui, usque ad 20, parum aperti; sepala 6 lin. longa, fere 2 lin.

lata; petala $4\,^2/_3$ lin. longa, $2\,^1/_4$ lin. lata; labellum $3\,^1/_2$ lin. longum, fere $3\,^3/_4$ lin. latum. Gynostemium modo $2\,^1/_2$ lin. longum, fere ut in *Asarcis*, sed cum basi labelli parum connatum.

1035. Chloraea patagonica Ph. Chl. spica multiflora; sepalo superiore lanceolato, lateralibus linearibus, apice incrassatis, mediano lanceolato; petalis falcatis, margine concavo verrucoso-varicoso; labello rhombeo, obsolete trilobo, lobornm lateralium venis varicosis, apice paucidentato, centro setis falcatis obsito, lobi terminalis triangularis margine dentato, varicoso.

In planitie patagonica prov. Valdiviae opposita legit orn. G. Cox. — Pars inferior plantae deficit. Spica 6 poll. longa, circa 18-flora; bracteae inferiores 20 lineas longae, reliquae sensim minores, semper ovarium superantes, sed flore breviores. Sepalum superius 13 lin. longum, fere 4 lin. latum, valde acuminatum, 7-nervium, venis parum anastomosantibus; lateralia $11\,^1/_2$ lin. longa, fere 2 lin. lata, tri- vel quadrinervia, in parte incrassata subverrucosa. Petala sepalis aequilonga, versus apicem fere 3 lin. lata, 5-nervia; nervi laterales extus semipinnatim ramosi, reliqui versus apicem furcati. Labellum $7\,^1/_2$ lin. longum, fere 7 lin. latum; venae circa 7 processus falciformes gerunt; dentes lobi mediani breves, angusti, obtusi.

1036. Asarca odoratissima Poepp.

Species quam cl. Richard hoc nomine in opere Gayi V. p. 464 describit *A. odoratissima* Poepp. non est. Species Poeppigii flores *auranticos* habet, cl. A. Richard vero ei flores *albos* tribuit; in *A. odoratissima vera* lobus labelli „*integerrimus*“ est, in *A. odor.* Richardii vero margine inaequaliter dentatus est etc. Descriptio A. Richardi forte

melius in *A. albiflora*m Poepp. convenit, sed quid tunc *A. albiflora* apud Gay?

1037. **Bromelia Landbecki** Lechler mscr. Br. acaulis, caespitosa; foliis subinermibus, confertis, elongatis, acutissimis, margine sc. basi omnino inermi, versus apicem spinulis parvis raris munito; spicis axillaribus, compressis, solitariis; bracteis fuscis, in margine omnino *inermibus;* floribus albis.

In montibus litoralibus prov. Valdivia, incolis „Ñocha." — Differt a *Br. sphacelata* R. et P., quae „Chupon" incolis, foliis angustioribus, tenacioribus, igiur ad texendum aptis, quod folia *Br. sphacelatae* non sunt; floribus albis nec roseis, fructibus insipidis et *bracteis inermibus*. — Secundum orn. Krause haec Bromelia non est Ñocha, sed hoc nomen speciei quartae tribuendum est, cujus exemplaria tamen nunquam vidi.

1038. **Rhodostachys litoralis** Ph. cfr. nr. 561. — *Fructus* ... Spica fructifera subglobosa, diametri 3 — 3½-pollicum; *baccae* fuscae, trigonae, sapidae, subarcuatae, usque ad 18 lin. longae, 6 lin. latae, 5 lin. crassae, calyce et corolla emarcida persistentibus coronatae. Semina numerosissima; oblonga, arcuata, vix 1 lin. longa, parum compressa, fere teretia, longitudinaliter rugata, punctato-aspera.

1039. **Puya gigantea** Ph. P. caule 10 — 15-pedali; folis *erectis*, *utrinque viridibus*, margine uncinato-spinosis; spicis lateralibus apice nudis; petalis *sulphureis*, post desiccationem sordide luteis.

In litore prov. Aconcaguae prope „los Molles" etc. frequentem et gregariam legit orn. Landbeck; incolis „Cardon negro", caulis novus s. potius turio non comeditur ut sequentis. — In folio, quod ante oculos habeo, 12 lin. lato aculei 16 — 18 lin. distant, 3 lin. longi, valde uncinati et lanugine alba

tecti sunt, sed pagina inferior *glaberrima* et aeque viridis ac superior. Bracteolae 14 lin., calyx 13 lin. longus, extus — ut in omnibus speciebus — dense lanatus, petala 24 lin. longa, linea centrali virescente praesertim versus apicem (secundum picturam ad vivum ab orn. Landbeck factam). Habitus vulgaris speciei, cujus diagnosis sic emendanda:

1040. Puya coarctata Gay. P. caule 6 — 10-pedali; foliis *recurvis, subtus argenteis*, margine uncinato-spinosis; spicis lateralibus, apice nudis; petalis pallide *viridi-caeruleis*, post exsiccationem *purpureis*.

Frequens prope Santiago, Valparaiso, Illapel etc. — In foliis, pariter pollicem latis, aculei modo 13 lin. distant, longiores, minus uncinati, debiliores quam in antecedente.

1041. Puya paniculata Ph. P. caule 4 — 5-pedali; foliis angustis, 4 lin. latis, subtus haud argenteis; floribus *laxe paniculatis, pedicellatis*, ramis paniculae usque ad apicem floriferis; *bracteis pedicello multo brevioribus*; petalis angustis, obscure caeruleis.

In prov. Colchagua satis frequens est. — Caulis fere coccineus, pedunculi tomento brevi tecti, modo pubescentes vocandi; *pedicelli graciles*, 6 *lin. longi*; bracteolae 4 lin. longae, 1 — 1 ½ lin. latae, glabriusculae, *herbaceae*. Sepala 8 ½ lin. longa, glabriuscula; corollae parum apertae petala 14 — 15 lin. longa, modo 1 ½ — 2 lata. — Capsula immatura ovata, 6 ½ lin. longa, calyce inclusa, omnino supera, *septicida*.

An haec *P. caerulea* Miers? Descriptionem Lindleyi Botan. Regist. 1840. t. II. inspicere non possum; descriptio in opere Gayi VI. p. 13. incompleta. Scapus paniculatus, flores pedicellati conveniunt; sed petala plumbeo-caerulea non sunt, nec folia bipedalia. Species quam pro *P. caerulea* habui,

pedicellos modo 3 lin. longos, bracteas vero 11 lin. longas, 4 lin. latas, albidas, scariosas; calycem 11 lin.; corollam 20 lin. e violaceo-caeruleam et folio omnino argenteo-lepidota 4 lin. lata habet, an tertia species?

1042. Tillandsia Landbecki Ph. T. caespitosa; foliis subdistichis, linearibus, elongatis, apice fere subulatis, subteretibus, supra canaliculatis, lepidoto-pruinosis; pedunculis unifloris, plerumque valde elongatis; bracteis duabus aequalibus.

Prope Illapel, Choapa etc. frequens, fere in nulla alia planta quam in Cereis, et una cum *T. propinqua* Gay. — Tota planta, ut reliquae species, sordide cinerea. Caespites 6 poll. alti. Folia 3 poll. longa, vix 1 lin. crassa; pedunculi jam 2 poll., jam 6 poll. longi, filiformes, erecti, interdum bifiori, et tunc spatha basi inflata deinde foliiformi munita; saepe folium vagina inflata munitum in medio caule. Bracteae 7 — 8 lin. longae, basi dilatatae, ibique margine scariosae, apice cylindricae, lepidoto-pruinosae. Calycis foliola 4—5 lin. longa, ovato-lanceolata, medio nervosa, purpurea, margine lato scarioso. Petala .... Capsula cylindrica, 7—9 lin. longa, 1 1/4 lin. crassa. — Foliis multo longioribus primo adspectu a *T. propinqua* distinguitur.

1043. Susarium *) Ph. novum *Iridearum* genus.

Perigonium corollinum *monophyllum, hypocrateriniorphum*, tubo angustissimo; limbo hexaphyllo. Stamina tria monadelpha; antherae ovatae, biloculares, extrorsum dehiscentes, connatae; stigmata tria, indivisa, filiformia. Ovarium sessile, lanceolatum, triloculare; semina in quovis loculo biseriata, c. 10, rugosa, pressione angulosa, utrinque, i. e. inferius et superius, alata.

---

*) *σουσάριον*, diminutivum vocis *σοῦσον*, lilium.

Susarium Segethi Ph. nr. 428 pro *Sisyrinchio* descriptum.

Capsula lanceolata, acuminata, 9 lin. longa, basi 2 lin. crassa, spatham aequans. Semina cum alis $2^1/_2$ lin. longa, 1 lin. lata, obscure ferruginea.

Species etiam in prov. Valdivia in praedio meo, nec non in Patagonia occurrit, unde orn. Guill. Cox specimen fructiferum attulit.

1044. **Susarium nigricans** Ph. S. caule foliato, compresso; foliis lineari-ensiformibus striatis; spatha terminali, inflata, 3—4-flora; floribus luteis; ovario obverse lanceolato, $^2/_3$ tubi perigonii aequante, subpedicellato.

Prope Talca in „hacienda de las Mariposas“ lecta est. — Unicum specimen examini subjicere possum. Radix deest, suppetit caulis 5 poll. altus, foliis quatuor onustus, compressus et anceps, ante spatham $1^1/_3$ lin. latus, cum foliis post desiccationem niger. Folia inferiora $2^1/_2$ poll. longa, 2 lin. lata, equitantia, striata, nervis c. 7 fortioribus; supremum 21 lin. longum, parte vaginante complicata sc. pollicari; hoc ex axilla ramum et spatham emittit, et forte specimina majora ramosa sunt. Pedunculus (i. e. pars caulis ab ultimo folio inde) 21 lin. longus; spathae 13 lin. longae, folium exterius late ovatum, margine angusto scarioso; sequens aeque longum, apice lato, obtuso scariosum; reliqua majorem partem scariosam habent. Flores ex spatha emergentes; tubus perigonii angustus, $3^2/_3$ lin. longus; diameter limbi 7—8 lin. Stamina monadelpha? et stylus e tubo per $1^1/_2$ lin. exserta; stigmata divaricata, filiformia, 2 lin. longa. Ovarium 3 lin. longum, obverse lanceolatum, pilis brevibus versus apicem praesertim sparsim tectum. — Primo pro *Sisyrinchio nigricante* Gay VI. p. 20. habui, sed huic spatha *biuncialis* adscribitur et flores diametri 4 lin. nam „tres veces mas chicas

que las bracteas, que son de casi una pulgada de largo"; et cum ovarium ovato-rotundum sit ad Sisyrinchia vera pertinet.

Tertia species est *Sisyrinchium andinum* mihi Centur. nr. 430.

1045. Chamelum Ph. novum *Irideārum* genus.

Perigonium tubuloso-infundibuliforme, sexfidum, laciniis lanceolato-linearibus, aequalibus. Stamina tria, faucibus tubi inserta; stamina monadelpha, columnam cylindricam sistunt; antherae lineares, erectae, liberae, extus rima longitudinali dehiscentes. Stylus longitudine staminum; stigmata exserta, brevia, cylindrica, apice truncata, recurva. Ovarium triloculare, multiovulatum.

Chamelum *) *luteum* Ph. unica species mihi nota. — Rhizoma horizontale, articulatum, fuscum, fere lineam crassum, ramosum, subtus radices fuscas, crassiusculas, circa 20 lin. longas emittit, apice folia et flores producit. Folia lineari-filiformia, erecta, recurva, $2^1/_2$ poll. longa, vix $^1/_2$ lin. lata, teretia, striata, pilis brevibus albis pubescentia, basi vaginantia, vagina glabra. Flores folia aequantes, lutei. Scapus teres 8 lin. longus, crassitie foliorum, glaber, biflorus. Spathae 2—3, erectae, 16 lin. longae, glabrae, basi hyalinae, apice herbaceae, striatae et pubescentes, pungenti-mucronatae, lanceolato-lineares, vel apice latiores. Perigonium 2 poll. longum, glaberrimum; tubus pollicaris, cylindricus, vix $^1/_8$ lin. crassus; limbi laciniae lanceolato-lineares. Antherae filamentorum columnam aequant. — Habitat in Andibus prope Santiago loco dicto „Malpaso", ubi primus detexit filius Fridericus.

---

*) χαμηλός, humilis.

1046. Sisyrinchium nervosum Ph. S. caule robusto, foliato, compresso; ancipite, cum foliis equitantibus, *nervosis*, *sex lin. latis*, glauco; spathis floriferis in spicam interruptam dispositis, ovatis, acutis, *herbaceis*, striatis; floribus subdenis, breviter pedicellatis, glaberrimis, perigonii lutescentis laciniis 7 lin. longis.

„Illapel", unde attulit orn. Landbeck. — Gramen basi valde durum, ramosissimum, caespitem densum, brevem efformans. Culmi plerumque 3—3 1/2 poll. alti, basi omnino vaginis latis, striatis, ad os pilosis, albidis tecti, quae tempore florendi laminis carere solent; laminae, quae adsunt, emarcidae, *planae*, fere lineam latae, forte pollicem longae. In parte superiore culmi vero folia *convoluta*, filiformia, peracuta, sed vix pungentia, aspernla, distantia. Vaginae 4 lin. longae, dimidio internodio breviores, ultima inflata, 6—7

lin. longa, paniculam fovens, laminam $1\,^1/_2$ — 2 lin. longam gerens. Flores vix unquam ultra 12 in panicula. Glumae basi et in nervis virides, deinde violaceae, apice et margine albo-scariosae, *late ovatae*. Arista $2—2\,^1/_2$ lin. longa. — Species habitu distinctissima paleis albo-hirsutis cum *N. pungente* Desv. convenit, a qua praeter habitum glumis late ovatis floribusque minoribus facile distingnitur.

1098. **Nassella Landbecki** Ph. N. caespitosa, $2—2\,^1/_2$-pedalis; culmis filiformibus; foliis inferioribus planis, etiam superioribus vix convolutis; vaginis ad os pilosis, suprema a panicula remota; panicula $1\,^1/_2$—3-pollicari; glumis *ovato-lanceolatis*, trinerviis, inferiore majore, longius acuminata, $1\,^1/_2$ lin. longa; palea glaberrima, nitidissima, oblonga, $^1/_2$ lin. longa.

Prope „Illapel“ invenit orn. Landbeck. — Culmi etsi $2\,^1/_2$-pedales basi modo $^1/_2$ lin. crassi; internodia circa 6—7, valde remota. Lamina foliorum inferiorum 3 poll. longa, $^3/_4$ — 1 lin. lata; ramorum sterilium folia convoluta, fere filiformia, 1 — $1\,^1/_2$ poll. longa. Panicula jam pauciflora contracta, jam multiflora, laxiuscula. Glumae tricolores. Aristae valde caducae, $2\,^1/_2$ lin. longae. — Differt a *N. majore* Fr. et R., *ramosa* Steud., *juncea* milli: vagina suprema a panicula longe remota etc., a *N. exserta* mihi praeter habitum: palea angustiore, fere duplo minore, basi pilis destituta; a *N. laxiflora* mihi: panicula minus ampla, floribus minoribus, gluma latiore etc.

Var. *eremophila;* aristis 5 lin. longis, sero deciduis. — Ramum inter exemplaria *N. pubiflorae* in deserto Atacamensi prope „Hueso parado“ lecta inveni.

1099. **Nassella laxiflora** Ph. N. caespitosa, $2—2\,^1/_2$-pedalis; foliis anguste linearibus, inferioribus planis, elongatis,

ultimo a panicula remoto; paniculae *quadripollicaris*, *laxae* ramis a medio inde floriferis; glumis 2 lin. longis, *oblongo-lanceolatis;* palea inferiore glaberrima, ovato-oblonga, 1 lin. longa; aristis 3—3 1/2 lin. longis.

Prope „Concumen“ in prov. Aconcagua invenit orn. Landbeck. — Culmi ex eadem radice plures, simplices, nodis circa 6 constant. Foliorum inferiorum lamina 5 poll. longa, vix 1 lin. lata, superiorum modo 3/4 vel 1/3 poll. longa. Glumae maxima ex parte violaceae, basi parum virides, apice late hyalinae. — Ab omnibus speciebus facillime: panicula ampla, laxa, cujus rami basi nudi, distinguitur, a *N. Landbecki* praeterea: glumis et palcis multo majoribus.

1100. **Piptochaetium verrucosum** Ph. P. dense caespitosum; culmis fertilibus uni- vel bipedalibus, strictis, fere capillaceis; foliis convolnto-setaceis, caulinis brevibus; ligula elongata; panicula 1" — 1 1/2-pollicari, pauciflora, augusta; spiculis 1 1/2 lin. longis; glumis late ovatis, cuspidatis, basi viridibus, medio violaceis, apice scarioso flavescentibus; inferiore subquinquenervi; palea inferiore fere 1 lin. longa, demum fusca, ovata, obliqua, *tota verrucosa;* pedicello pilis brevibus albis obsito; arista 4 1/2 lin. longa, caduca.

In praedio meo valdiviano S. Juan loco „Pantanos“ dicto inveni. — Folia radicalia erecta, 3—4 poll. alta, glaberrima, laevissima. Culmi binodes. Folia caulina vix pollicem longa; ligula ovata, obliqua.

1101. **Piptochaetium laevissimum** Ph. P. densissime caespitosum; foliis convoluto-setaceis, scaberrimis; culmis 1 — 1 1/4 pedes altis; panicula 1 1/2-pollicari, pauciflora; glumis lanceolatis, longe acuminatis, 3 lin. longis; palea obovata, oblonga, glumis fere triplo breviore *laevissima;* baseos villis fere dimidium ejus attingentibus; arista sero decidua 9 lin. longa.

In prov. Colchagua detexit orn. Landbeck. — Gramen glaucum, densissime caespitosum. Folia capillaria, convoluta, erecta, scaberrima. Culmi 12—15 poll. alti, filiformes, bi-nodes, laevissimi; paniculae rami vero scaberrimi, singüli vel bini, 1—3-flori. Glumae purpurascentes, trinerviae, basi utrinque sericeo-pilosae. — Differt a *P. tuberculato* Desv. et *panicoide* ejusdem: glumis lanceolatis neque late ovatis etc., a *P. ovato* Fr., quocum glumis longe acuminatis et villis baseos fere dimidiam paleam aequantibus convenit, palea laevissima discrepat.

1102. Stipa tenuiflora Ph. St. (Pappophora) culmo 1—1 1/2-pedali, rigido, duro, cum nodis glaberrimo; foliis plerisque convolutis, ad os vaginarum pilosis; vaginis ultimis ventricosis, paniculam foventibus; panicula erecta, subquadripollicari; glumis subaequalibus, hyalinis, fere setaceis 3 lin. longis; palea inferiore paullo longiore, angusta, cylindracea, basi albo-pilosa, caeterum glabra, scabra; arista 15 lin. longa, basi albo plumosa, deinde glaberrima.

Prope „Llico“ in prov. Colchagua invenit orn. Landbeck. — Culmi etsi duri et rigidi tamen filiformes. Vaginae inferiores vix dimidium internodium aequant, suprema quadripollicaris, basin paniculae amplexa. Loco ligulae pili. Lamina foliorum inferiorum quadripollicaris, laevis. Panicula flexuosa; pedicelli capillares, gluma subbreviores. — A *St. chrysophylla* Desv., *speciosa* Tr. et R., *frigida* Ph, et sequente facillime glumis minutis hyalinis distinguitur.

1103. Stipa vaginata Ph. St. (Pappophora) caespitosa, culmo rigido, glaberrimo, a vaginis foliorum omnino involuto; vaginis glabris, laevibus; summis duabus ventricosis, paniculam elongatam foventibus; ligulis superioribus elongatis, bifidis, acutis; laminis convolutis, filiformibus, glabris, laevibus;

paniculae contractae glumis violacco-viridibus, margine et apice late hyalinis, subaequalibus, circiter 7 lin. longis; pedicello floris basi glabro; palea inferiore 8 lin. longa, albo-pilosa; superiore parum breviore glaberrima; arista 13—15 lin. longa, tantummodo basi pilis longis, albis vestita.

Prope „S. Felipe de Aconcagua“ crescit, unde attulit orn. Landbeck. — Culmi $1\frac{1}{4}$ ped. alti, vix $\frac{1}{2}$ lin. crassi, glaberrimi, laevissimi, basi vaginis vetustis rufis cincti, et etiam superius omnino vaginati. Folia radicalia, erecta, circa pedem alta, apice fere pungentia, culmo tenuiora. Ligulae inferiores subnullae, loco earum corona pilorum brevium, suprema 2 lin. longa. Folium ultimum vix 2 poll. longum, pariter convolutum. Panicula circiter 6-pollicaris; rami scaberuli, apice incrassati. Modo dimidium inferius partis aristae sub genu sitae barbatum. — Differt a *St. speciosa* Trin. et R.: floribus minoribus, palea superiore longiore, culmo glaberrimo etc., a *St. chrysophylla* Desv.: aristis non usque ad genu barbatis, culmis et panicula longioribus etc.

1104. Stipa duriuscula Ph. St. (Gymnathera) caespitosa, $1\frac{1}{2}$-pedalis; culmis filiformibus, praesertim sub nodis scabris, quadrinodibus; foliis brevibus, convolutis, hirtis; vaginis glabris, scabris, ad os pilosis, ultima paniculam attingente; ligula brevissima; panicula $3\frac{1}{2}$-pollicari, pauciflora, contracta; glumis subaequalibus, lanceolatis, acuminatis, pallidis, basi virescentibus, medio violaceis, apice hyalinis; palea $2\frac{1}{4}$ lin. longa, ultra medium sericeo-villosa, apice haud truncata, ciliatave; arista geniculata, nudiuscula, pollicari.

In prov. „Colchagua“ ab orn. Landbeck lecta sunt. — Caespites crassi, duri. Culmi modo $\frac{3}{4}$ lin. crassi. Folia radicalia et caulina culmorum fertilium modo 3-pollicaria. Panicula ab ultimo folio vix pollicem longo $\frac{1}{2}$ — 1 poll.

distans vix 20 flores gerit; rami ejus singuli 1 — 2-flori; etiam inferiores vix semipollicares. Glumae trinerviae. Palea inferior altero latere gibbosior, apice cartilaginea, sed minime ante apicem constricta nec coronam ciliatam exhibens, nec lobulo scarioso utrinque aucta. — Pubescentia cum *St. hirta* mihi convenit, sed haec: palea inferiore usque ad apicem pilosa, apice ciliis coronata, arista fere duplo longiore, validiore, vaginis pilosis, pilis foliorum longioribus valde differt.

1105. Stipa Bertrandi Ph. St. (Gymnathera) dense caespitosa; culmo fertili $1\,^1/_2$ — $2\,^1/_2$-pedali; foliis culmum subaequantibus, erectis, glaucis, valde sulcato-striatis, ciliatis, planis; vagina summa basin paniculae laxae, sexpollicaris amplectente; glumis angustis, $3\,^1/_3$ lin. longis; palea inferiore $2\,^1/_3$ lin. longa, vix scabra, basi, in linea dorsali et in ventre albo-pilosa, apice haud capitata; arista $6\,^1/_2$ lin. longa, scabra.

Ornat. Bertrand, horticultor intelligentissimus, hanc Stipam in radice Andium prope Santiago lectam pro pabulo colit. — Folia culmorum sterilium fere culmos aequant, erecta, densa, glauca, $1\,^1/_2$ lin. lata; vaginae magis virides, culmi et nodi glaberrimi. Glumae trinerviae, ut reliquarum, nervis viridibus, caeterum fere hyalinae, superior modo supra basin violaceo tincta. Sic specimen hyeme florens, specimina aestatis forte magis violacea.

1106. Stipa hirta Ph. St. (Gymnathera) culmo erecto, quadrinodi, pilis brevissimis densissimis hirto; foliis siccitate convolutis, longius hirsutis, paniculae c. quinquepollicaris, constrictae, pauciflorae ramulis singulis binisve hirsutis; glumis subaequalibus, $4\,^1/_3$ lin. longis, ovato-lanceolatis, trinerviis, in carina dorsali hirsutis; palea inferiore cum pedicello longe hirsuto 2 lin. longa, pilis appressis pubescente,

dorso convexiore; arista circa 18 lin. longa, praesertim basi hirta.

*In colli prope Santiago inveni. — Culmus circiter bipedalis, basi fere 1 lin. crassus. Foliorum inferiorum lamina 4 poll. longa, explicata $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin. lata; ligula brevis, rotundata; lamina ultima modo 6 lin. longa, fere basin paniculae apice suo attingit. Rami majores paniculae pollicares, subquinqueflori; glumae basi virides, medio violaceae, apice et margine late hyalinae.

1107. Stipa trachysperma Ph. St. (Stephanantha) caespitosa; culmis pedalibus, binodibus, in nodis velutinis; foliis convolutis hirsutis, vaginis glabris, summa a panicula remota; panicula $4\frac{1}{2}$-pollicari; pauciflora; glumis 7 lin. longis, tricoloribus, nervo mediano piloso; palea inferiore albida, versus apicem scaberrima, praeter nervum medianum usque ad medium villosum glabra, $2\frac{2}{3}$ lin. longa, cylindrico-fusiformi, pedicello dense piloso, $1\frac{1}{3}$ lin. longo insidente; ante coronam pilis longis ciliatam constricta; arista basi satis pilosa 29 lin. longa.

✓In collibus prope Santiago inveni. — Ligula brevis. Rami paniculae pauciflori, singuli binive. — Cum *St. laxa* Desv. nodis velutinis convenit, sed huic: palea hirsuta, neque tuberculato-scabra, compressa nec cylindrica etc., *St. Cumingiana* Trin. a nostra: floribus longe minoribus, palea compressa, dorso gibba etc., *St. Neesiana* Trin.: arista glabra, palea punctata sed non scaberrima etc., *St. hirta* mihi: culmo pilis brevibus obsito etc. differunt.

1108. Stipa pratensis Ph. St. (Stephanantha) culmis caespitosis, $2\frac{1}{2}$—3-pedalibus, glabris, paucinodibus; foliis *planis*, cum parte superiore vaginarum pubescentibus, inferioribus 3 lin. latis; *panicula ab ultimo folio valde remota;*

6—7-pollicari, post anthesin contracta; glumis $5^1/_4$ lin. longis, lanceolato-cuspidatis violaceis; palea inferiore perfecte cylindrica, truncata, $2^1/_4$ lin. longa, 5-nervia; punctato-scabra, dorso et in duobus nervis fere ultra medium pilosa, pedicello piloso, $^3/_4$ lin. longo insidente, viridi, apice corona pilorum cincta; 17 lin. longa, scabra.

In provincia Valdivia, S. Juan, Corral etc. crescit. — Ligula brevissima, subnulla. Panicula a vagina suprema ultra pedem distans, ramis binis ternisve inaequalibus, pubescentibus, majore $1^1/_2$ — $1^3/_4$ poll. longo. Glumae trinerviae aequales, apice tantum hyalinae. *Stipa mucronata* H. B. Kth.: vagina paniculam amplectente, reliquae pleraeque species hujus sectionis foliis convolutis etc. differunt.

1109. Stipa contracta Ph. St. (Stephanantha) caespitosa, $1^1/_2$-pedalis; culmis glabris, laevibus; ad *nodos villosissimis*; foliis *planis* utrinque hirsutis; vaginis glabris, ultima haud amplectente; panicula sexpollicari, laxa; glumis subaequalibus, 7 lin. longis, violaceis (apice scarioso hyalinis); palea longe stipitata, granulata, nervosa, ante apicem constricta, ciliis coronata; stipite et carina dense villosis; arista bipollicari, pubescente, contorta, haud geniculata.

E „Colchagua" attulit orn. Landbeck. — Folia $1^1/_2$ lin. lata, radicalia 5 — 6 poll. longa, caulina tria, ultimum circa pollicem a panicula remotum, $2^1/_2$ poll. longum, convolutum; ligula mediocris, truncata. Palea $4^1/_2$ lin. longa, quadrinervia, punctata, apice crasso caput quoddam referente terminata, ut in *St. mucronata* H. B. Kth., cui tamen: nodi glabri, folia glabra, palea etiam in nervis pilosa etc. Similior est *St. trachysperma* mihi, a qua: nodis villosissimis, pilis foliorum longioribus, palea minus granulosa, ante apicem constricta, apice violaceo breviore, arista haud geniculata etc. differt.

1110. Stipa longiglumis Ph. St. (Stephanantha) caespitosa; culmis fertilibus erectis, pedalibus, 3—4-nodibus, glabris, laevibus; foliis angustis, subconvolutis, culmorum sterilium hirtis; paniculae tripollicaris, erectae, depauperatae ramis brevibus hirtis; *glumis* lineari-lanceolatis, basi roseis, *pollicem longis;* pedicello floris et palea ante apicem violascente, 4 lin. longa, praesertim superius aspera dense pilosis; apice contracto; dorso haud gibbo, flavescente, ciliis coronato; arista nuda, basi hirta, fere 3-pollicari.

Specimen unicum prope „Llico“ in parte litorali prov. Colchaguae ab orn. Landbeck lectum vidi. — Folia culmorum sterilium vix 4 poll. longa, vix 1 lin. lata. Ligula culmorum fertilium brevissima. Glumae proprie tricolores, basi virides et violaceo-roseae, a medio inde hyalinae vel pallide fuscae, inferior trinervia, superior quinquenervia. — Ab omnibus hujus sectionis speciebus: longitudine eximia glumarum recedit.

1111. Agrostis Fonckii Ph. A. erecta, subbipedalis; culmo aspero, apice nudo; foliis planis, scabris; paniculae quinquepollicaris, contractae ramis inferioribus vix 16 lin. longis; pedicellis glumas aequantibus; glumis vix 1 lin. longis, ovato-lanceolatis, in carina denticulato-scabris, viridibus, margine lato-scariosis; palea inferiore $^2/_3$ glumae aequante; *arista* subgeniculata, glumas excedente.

Orn. Dr. Fr. Fonck prope „Puerto Montt“ lectam misit. — Diam. culmi basi $^3/_4$ lin. Panicula ab ultimo nodo $10^1/_2$ poll., a vagina ejusdem $4^2/_3$ poll. distat. Lamina foliorum supremorum $3^1/_2$ poll. longa, $1^1/_2$ lin. lata. — Differt ab *A. exasperata* Trin.: culmo apice nudo, floribus fere dimidio brevioribus etc.

1112. Agrostis?? corralensis Ph. A.?? radice fibrosa; culmis $1^1/_2$—2-pedalibus, *usque ad paniculam foliatis;*

foliis planis, 3 — 3 1/2 lin. latis, glabris; vaginis superius retrorsum hirtis; panicula fere 6-pollicari, angusta; ramis verticillorum subquinis, erectis, scabris, longioribus a medio inde spiculigeris; pedicellis spiculam vix aequantibus; spiculis 2 lin. longis, *bifloris*; glumis subaequalibus, flores aequantibus, lanceolatis, carinatis, in carina superius scabris, hyalinis, nervis viridibus; inferiore uninervia, superiore basi trinervia; paleis scaberrimis, albidis; inferiore ovato-lanceolata, trinervia, inermi, superiore 3/4 inferioris aequante, binervia, obtusa; pedicello floris secundi villoso, dimidium floris secundi aequante.

Prope „Corral", portum Valdiviae, detexit orn. Krause. — Differt ab *A.? asperula* mihi Centur. no. 489 caule usque ad paniculam vaginato, foliis latioribus, glumis angustioribus, haud violaceo-maculatis. Folium ultimum 5 poll. longum.

1113. **Agrostis limonias** Ph. A. (Podagrostis?) radice fibrosa? culmo subbipedali, usque ad paniculam foliato; foliis 1 2/3 lin. latis, cum vaginis glaberrimis, scabris; ligula mediocri, obliqua; panicula quinquepollicari, erecta, contracta; ramis in quovis verticillo subquinis, longioribus a medio spiculigeris, scaberrimis; pedicellis brevibus, apice incrassatis; spiculis vix 2 lin. longis, pallide fulvis, sesquifloris; glumis subaequalibus, scaberrimis, ovato-lanceolatis, carinatis; inferiore uninervia, superiore trinervia; flosculo glumas subaequante; palea inferiore tereti, subconvoluta, scaberrima, obscure trinervia, pedicello villoso insidente, inermi; superiore inferiorem subaequante, in carinis ciliata; pedicello hirsuto (rudimento secundi floris) 3/4 flosculi aequante.

Loco „Pantanos" dicto praedii mei valdiviani inveni *A. asperulae* mihi no. 489 proxima, sed flores minores, haud violacei, secundus vix unquam perfectus etc.

1114. Agrostis Desvauxii Ph. A. (Podagrostis) ⊙? caespitosa, humilis; foliis brevibus, convolutis; ligula elongata, acuta; panicula spiciformi, sat laxa; glumis lineari-lanceolatis, aequalibus, laevibus; floris parum minoris palea inferiore apice quadridentata, dentibus mediis brevibus, supra basin aristam exsertam, contortam, geniculatam gerentibus; callo nec non rudimento secundi floris fere dimidiam paleam aequante pilosis.

In Andibus prov. Santiago Nov. 1861 legi. — Radix fibrosa. Folia $1\,^1/_2$ poll. longa, glaberrima; laevia. Culmi 3—5-pollicares, trinodes. Panicula $2—2\,^1/_2$-pollicaris; rami in quovis verticillo 3 ad 4, valde inaequales, laeviusculi, majores circiter 5-flori, usque ad medium nudi, minores brevissimi, imo una alterave spicula sessilis. Spiculae certo uniflorae, $2\,^1/_4$ lin. longae. Glumae aequales, trinerviae, virides, margine hyalinae, apice interdum violascentes. Palea inferior enervia, apice scariosa et quinquepartita, licet dente medio minimo, exterioribus majoribus, 2 lin. longa; palea superior fere $^3/_4$ inferioris aequat. Rudimentum floris secundi fere dimidium florem aequat, pili ejus et calli satis breves. Arista paleam sesquies aequat. — Primo adspectu *Monondrairae Berteroanae* Desv. (*Triseto* H.B.Kth.) simillima, sed ramis paniculae inaequalibus, nonnullis perbrevibus statim dignoscenda et *uniflora* est.

1115. Deyeuxia viridis Ph. D. culmis tripedalibus, 2—3-nodibus; foliis planis aut siccitate convolutis, vaginisque glaberrimis; ligulis brevibus, truncatis, ciliatis; panicula sex-pollicari, angusta, laxa, viridi; glumis anguste lanceolatis, margine hyalinis, carina scabris; superiore parum longiore ere 4-lineari; palea inferiore glumam inferiorem aequante, bifida, supra medium aristata; arista geniculata, $3\,^1/_2$ lin.

longa; palea superiore $^2/_3$ inferioris aequante; pilis paleam majorem aequantibus.

Prope „Corral“ invenit orn. Krause. — Species glumis angustis, viridibus, minus nitentibus insignis. Folia radicalia 7-pollicaria, $1^1/_2$ — $1^2/_3$ lin. lata, siccitate convoluta; caulina duo, inferius 4 poll., superius modo 2 poll. longum. Vaginae praelongae, nihilominus panicula pedem a folio supremo distat.

1116. **Deyeuxia? elata** Ph. D. culmo tripedali et ultra, 2—3-nodi, pilis deorsum flexis sub nodis vestito; vaginis valde sulcatis, glaberrimis, laevibus; foliis caulinis planis, brevibus; panicula quadripollicari, contracta sed laxa; ramis binis, erectis in quovis verticillo, ad summum $1^1/_2$ poll. longis, dense puberulis; spiculis subsessilibus; glumis aequalibus, 3 lin. longis, flores superantibus, lanceolatis, membranaceis, carinatis, inferiore uninervia, superiore trinervia; carina denticulata, scabra; *flosculis duobus*, pilis sericeis non valde numerosis, fere dimidiam paleam aequantibus stipatis; palea inferiore lanceolata, fere chartacea, dorso aspera, marginibus scariosa, apice bifida; arista ex $^2/_3$ altitudinis oriunda, 3—$3^1/_2$ lin. longa, geniculata, patente.

In ore lacus „Llanquihue“ inveni. — Spiculis bifloris a Deyeuxia recedit; an Calamagrostis? sed glumae oppositae, neque inter se remotae, et paleae basi glabrae.

1117. **Gynerium atacamense** Ph. G. panicula argentea, violaceo-tincta; spiculis ♀ subquadrifloris, 5 lin. longis; glumis 3 lin. longis; palea inferiore glumae simili eaque vix longiore; apice *brevius* attenuata.

Prope S. Pedro de Atacama legi potest. — Folia vix 3 lin. lata. Glumae distincte uninerviae, nervo violaceo, apice bifidae (in G. *argenteo* nervus hyalinus); palea inferior pa-

riter nervis violaceis distincta est, et apice angusto *brevi* terminatur, qua nota valde a G. *argenteo* et G. *Quila*, quacum in itinere atacamensi confudi, discrepat.

1118. **Deschampsia lasiantha** Ph. D. caespitosa, culmis 6—8-pollicaribus; foliis glabris, complicatis; ligula brevi ciliata; panicula contracta, pedunculo pedicellisque spiculas $2^1/_2$—3-floras vix aequantibus villoso-pubescentibus; glumis lanceolatis, dorso serrulatis, glabris, flosculos dense lanuginoso-pubescentes aequantibus, fere 3 lin. longis; palea floris inferioris $2^1/_2$ lin. longa, obsolete nervosa, supra medium aristata.

A cl. Claudio Gay in Andibus de Hurtado lecta est. — Folia radicalia $2^1/_2$ poll. longa, suprema caulina $^1/_2$ poll. longa. Panicula 2 poll. longa, 20—30-flora, circiter 3 poll. ab ultimo *folio remota*. Flosculi remoti. Articuli rhacheos distincti, pilis longis, mollibus vestiti. Glumae subtrinerviae, tricolores, basi virescentes, dein violaceae, margine hyalinae. Palea inferior nervos *obsoletos* habet, et *omnino* dense pilis appressis, longis, mollibus obtecta est. Arista paleam aequans, *basi haud dilatata* neque plana. — Habitus fere *Danthoniae*.

1119. **Trisetum ochrostachyum** Ph. Tr. culmo 1—2-pedali, binodi, in nodis glabro; foliis planis, brevibus, hirsutis; vaginis glabris; ligula truncata, lacera, ciliata; panicula contracta, *densa, spiciformi*; $1^1/_2$-pollicari, flavescente; spiculis 3—4-floris; glumis inaequalibus, inferiore augusta, lineari, superiore trinervia, *late ovata*, vix 2 lin. longa; palea inferiore 2 lin. longa, dorso chartacea, tuberculato-aspera, bifida, ad $^2/_3$ longitudinis aristata, arista divaricata, ipsius longitudine.

E Valdivia attuli. An *Tr. variabilis* α. *flavescens* Desv. apud Gay VI. p. 251? Attamen hoc gramen non solum eo-

lore fulvo a *variabili* recedit, sed etiam panicula densiore, floribus minoribus, glumis paleas aequantibus, superiore multo latiore.

1120. **Trisetum monticola** Ph. Tr. caespitosum; culmis erectis, apice glaberrimis; foliis radicalibus hirtis, *planis;* panicula tripollicari, spiciformi, glaberrima, *viridi;* glumis subaequalibus, spiculam $3^1/_2$ lin. longam, trifloram aequantibus, cuspidatis; palea inferiore $3^1/_4$ lin. longa, glabra, lineari, ad apicem bifidum et marginem scariosa, supra medium aristata; arista paleam aequante.

In Andibus prope Santiago Nov. 1861 reperi. — Culmi $1-1^1/_2$-pedales, binodes, internodio ultimo longissimo. Folia culmorum sterilium pilis patentibus hirta, plana, 6 poll. longa, $1-1^1/_4$ lin. lata; culmea suprema vix $1^1/_2$ pollicem longa, glabra, sed vagina eorum hirtella. Ligula brevissima. Rami paniculae glaberrimi. Glumae in carina scabrae sed non ciliatae. Palea inferior subquinquenervis. — Differt a *Tr. tolucensi* Kth.: panicula viridi, ramis glaberrimis, glumis glaberrimis neque in carina ciliatis, spinulis trifloris; a *Tr. lasiolepi* Desv.: palea glabra, a *Tr. Preslii:* glumis longe acuminatis neque obtusis; a *Tr. phleoidi* Kth.: floribus multo majoribus, glumis in carina haud ciliatis etc.

1121. **Trisetum depauperatum** Ph. Tr. ⊙?, caespitosum, culmis $6-7$-pollicaribus, filiformibus, glabris, superius nudis; foliis planis, brevibus; ligula truncata, tridentata; panicula c. 16 lin. longa, *laxa*, pauciflora, spiculis $2-2^1/_2$-floris; glumis subinaequalibus $1^1/_2$ lin. longis, carinatis, margine scariosis, inferiore lanceolata, uninervia, superiore ovata, subtrinervia; palea inferiore fere 2 lin. longa, carinata, bifida, scabra, trinervia, ad $^2/_3$ longitudinis aristam geniculatam $1^1/_3$ lin. longam gerente; palea superiore $^2/_3$ inferioris

aequante; pedicello s. rudimento floris ultimi plumosi dimidium paleae inferioris aequante.

Ad ripam flum. „Futa“ in praedio valdiviano inveni. Lamina foliorum inferiorum 14 lin. longa, $^1/_2$ lin. lata. Rami paniculae 3 — 8 spiculas gerunt; glumae margine scariosae; palea superior membranacea, bifida. Stamina duo (aut tres), non unum; antherae breves, ovato-oblongae. — Habitus *Monandrairae Berteroanae* Desv. sed ab hoc genere: staminibus duobus (vel tribus) glumisque acutis differt.

1122. Melica ampla Ph. M. culmo bipedali, simplici; panicula ampla, sexpollicari, ramis patulis; spiculis 1 $^1/_2$-floris; glumis late ovatis, 3 lin. longis, hyalinis, nervis parum distincte anastomosantibus; superiore tertiam latitudinis partem inferioris aequante, 5 — 7-nervia; palea inferiore dorso asperula, *margine longe ciliata*, 3 lin. longa, 9-nervia, glumae superiori caeterum simili.

Prope „S. Felipe de Aconcagua“ reperit orn. Landbeck. — Culmus fere omnino vaginis foliorum valde striatis, suprema asperula, paniculae approximata, tectus. Ligula elongata, lacera; lamina foliorum 1 $^1/_2$ lin. lata, 4 — 5 poll. longa, utrinque scaberula. Rami paniculae interdum terni, quorum majores tres vel imo quatuor pedicellorum semiverticillos gerunt. — Differt a *M. argentata* Desv.: culmis simplicibus, palea longe ciliata; a *M. laxiflora* Cav.: floribus multo minoribus.

1123. Melica hirta Ph. M. culmis erectis, vix ramosis; foliis vaginisque scaberrimis, ultimo a panicula remoto; panicula ampla, patente; spiculis bifloris, flore unico fertili; gluma inferiore flores superante, lata, ovata, 5 lin. longa, nervis quinque anastomosantibus, superiore dimidio angustiore, trinervia; palea inferiore glumam superiorem non aequante, ciliis longis distantibus pectinata.

Probe „Ilapel“ specimina, quae jam defloruerant, invenit orn. Landbeck. — Culmi $2^1/_2$-pedales, basi filiformes et laevissimi, interdum medio ramum abbreviatum, folia compli-cata gerentem emittunt, et fere omnino vaginis foliorum tecti sunt. Vaginae, folia et pars superior culmi denticulis retror-sum versus scaberrima. Ligula oblonga, lacera. Panicula demum 5-pollicaris, patens; rami majores bipollicares, 8-flori. Glumae basi violaceae. Ciliae pectinatae in speciminibus non-nullis omnino desunt, an detritae? — Convenit cum *M. poeci-lantha* Desv. vaginis foliisque scabris, differt: spiculis bifloris, gluma inferiore haud minore, sed superiorem aequante, imo superante.

1124. Chascolytrum coarctatum Ph. Ch. caespitosum, pedale; foliis extus scabris; ligula brevi; panicula bipollicari, pauciflora, contracta; spiculis ovalibus, 2 lin. longis, 6—8-floris; glumis ovato-rotundatis acutiusculis, scabris; palea in-feriore $1^1/_4$ lin. longa, *suborbiculari, medio in acumen breve producta;* palea superiore ovata.

In praedio meo valdiviana „S. Juan“ dicto inveni. — Differt a *Ch. trilobo* Nees: spiculis minoribus, palea inferiore valde diversa, angulis lateralibus omnino orba; palea superiore angustiore. Panicula quoque magis spiciformis, rami majores vix 8 lin. longa, sed hoc forte speciminis non specici est.

1125. Rhomboelytrum quinquenervium Ph. Rh. erectum, bipedale et ultra; culmo vaginisque glabris; foliis planis, inferioribus utrinque hirsutis; ligula ovata; panicula angusta, contracta, tripollicari; spiculis fere 3 lin. longis, subquinqueflоris; glumis subaequalibus, spicula parum brevio-ribus; palea inferiore $2^1/_8$ lin. longa, quinquenervia, cuneata, latitudinem majorem ad $^4/_5$ longitudinis attingente.

Specimen prope „los Molles“ in prov. Aconcagua reper-tum, foliis radicalibus carens, ors. Landbeck debemus. —

Culmus $^1/_2$ lin. crassus tres nodos exhibet. Folia plana; lamina intermedii 3 poll. longa, $^3/_4$ lin. lata, suprema modo 9 lin. longa. Sub panicula culmus asperulus fit. Glumae asperae, trinerviae, virides, in margine lato-hyalinae, ante apicem plus minusve violaceo-tinctae. Paleae pariter asperae, puberulae, in marginis inferiore parte incrassata ciliatae, pilisque nonnullis ad pedicellum instructae; nervi quinque, laterales inter se et margini approximati; palea superior lanceolata, apice bifida. — Facile a *Rh. rhomboideo* Link: spiculis minoribus, angustioribus, paleis angustioribus, non medio sed ante apicem latioribus, quinquenerviis, non novemnerviis; a *Rh. Berteroana* Desv.: palea inferiore longiore, latiore, inferius ciliata distinguitur.

Poa valdiviana Ph. Cent. no. 502 nihil est nisi *Rhombolytrum Berteroanum* Desv.; palea superior variat, jam profunde emarginata, fere fissa, jam vix emarginata est; ut in specimine l. c. a me descripto.

1125 b. Briza minor. Per totam provinciam „Colchagua" jam vulgaris inter plantas Chilenses recipienda.

1126. Poa Fonki Ph. P. culmis sterilibus basi vaginis albidis tectis; fertili qui suppetit 8-pollicari, fere usque ad apicem vaginato, nodis sub vaginis longissimis occultis; foliis culmorum sterilium strictis, convolutis, ultra pollicem longis, apice cartilagineis, extus laevibus; ligula brevissima; panicula ♂ angusta, $2^1/_2$-pollicari, satis laxa; ramulis binis ternisve, longioribus a medio inde 3 — 6 spiculas gerentibus; spiculis $2^2/_3$ lin. longis, flore aperto late-ovatis, quadrifloris, e fulvo et violaceo versicoloribus; axi lanuginoso; glumis subaequalibus, lanceolatis, viridibus, apice violaceis, margine hyalinis, in parte superiore carinae pectinato-ciliatis, $1^2/_3$ lin. longis; palea inferiore 2 lin. longa, trinervia, in carina apicem versus pectinato-scabra; supera parum breviore; staminibus tribus;

Ad lacum „Lanquihue“ crescit. — Nodus supremus juxta basin situs, sed vagina folii longissima. Ligula brevissima. — Vagina summa longissima cum *P. Sellowii?* Nees (apud Gay) convenit, sed palea inferior modo trinervis, nec quinquenervis, carina pubescens, et rhachis lanuginosa, quae in *Sellowii* glabra dicitur.

1126 b. **Poa trivialis** L. Frequens in praedio meo valdiviano est, certissime spontanea aut vetustissimis temporibus introducta.

1127. **Festuca Desvauxii** Ph. F. perennis, caespitosa; culmo bipedali et ultra, gracili, sub nodis scabriusculo, vaginis foliorum basi tunicato; foliis rigidis, convolutis, *filiformibus*, *laevissimis*, apice pungentibus; radicalibus culmo multo brevioribus, caulinis brevibus, ultimo a panicula valde remoto; ligula brevissima; vagina apice biaurita; panicula quadripollicari, laxa, pauciflora; ramis verticillorum subbinis; spiculis 6—7-linearibus, 6-floris, laxis; glumis inaequalibus; palea inferiore convexa acuta, scabra, *mutica*, obscure quinquenervia.

Ad radicem Andium in prov. Colchagua in elevatione 2—3000 ped. s. m. crescit, unde attulit orn. Landbeck. — Folia radicalia 10 poll. longa, diametri $^1/_2$ lin., caulinum supremum modo 2 poll. longum. Vaginae ad basin culmi 2-pollicares. Culmus modo 2—3-nodis, basi vix 1 lin. crassus. — Differt a *F. scabriuscula* mihi Cent. no. 506: foliis laevissimis, spiculis longioribus, multifloris etc.

1128. **Festuca thermarum** Ph. F. 24, caespitosa, robusta; culmo $1^1/_2$-pedali, laevi, basi tunicato, superius nudo; foliis strictis, valde coriaceis, plicato-cylindraceis, *laevissimis*, culmum dimidium aequantibus, fere pungentibus, ligula nbnulla, panicula angusta, $3^1/_2$—4-pollicari; ramis erectis,

inferioribus geminatis; spiculis 5—6 lin. longis, 5—6-floris; glumis inaequalibus, inferiore lanceolata, 2 1/2 lin. longa, superiore ovata, 3 lin. longa, trinervia; palea inferiore *ovato-oblonga*, acuta, mutica, *hirta*. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 385.

Prope thermas „de Chillan" dictas in elevatione c. 6000 ped. inveni. — Vaginae foliorum albidae, arcte appressae. Folia caulina 2 — 3, brevia, pariter convoluta. Rami paniculae scabri. Palea fere 4 lin. longa, albida, violascenti suffusa, obsolete nervosa, pilis brevibus multiseriatis aspera. Caryopsis glabra. — A *F. acanthophylla* Desv. panicula angusta, foliis haud crassis, a *F. Desvauxii* mihi vero foliis crassioribus, glumis paleisque multo latioribus, paleisque hirtis differt.

Folia juniora harum Festucarum pabulum praestantissimum sunt, vetusta dura a pecude non tanguntur, unde rustici plantas comburere solent.

1129. Festuca asperata Ph. F. erecta, 2 1/2-pedalis, gracilis; culmo tereti, paucinodo, *scabro;* foliis filiformi-convolutis, coriaceis, rigidis, saltem 2/3 culmi aequantibus, extus *scabris*, intus pubescentibus; panicula sexpollicari, contracta; ramis in quovis semiverticillo binis ternisve, brevibus, *a basi flores gerentibus;* spiculis usque ad 7 lin. longis, 5—6-floris; glumis inaequalibus, angustis, inferiore 3 1/2 lin. longa, lanceolato-cuspidata, uninervia, superiore 4 lin. longa, trinervia, nervis prominulis; palea inferiore ultra 4 lin. longa, coriacea, apicem versus asperula, acuminata, mutica.

Prope „Illapel" ab orn. Landbeck reperta. — Basis culmi vaginis fusco-cinereis, opacis foliorum emortuorum obtecta est. Diameter foliorum 3/4 lin.; explicata vix 1 1/2 lin. lata sunt. Vaginae subinflatae, valde sulcatae; sat virides,

laminae magis glaucae. Flosculi plerumque picti, tricolores, basi virides, dein violacei, apice fulvi, distantes; rhachis flexuosa, scabra. Nervi glumae superiores vix prominuli. Antherae lineares. Ovarium apice glabrum. — A *F. scabriuscula* mihi Cent. 506: palea haud cuspidata, mutica, foliis crassioribus etc. facili negotio distinguitur.

1130. Festuca cepacea Ph. F. culmis caespitosis, omnibus basi *in bulbum* incrassatis, erectis, pedalibus, subpentaphyllis; foliis erectis planis, glabris, scabriusculis; vaginis glabris; ligula brevissima; panicula angusta, laxa, spiciformi, 2-pollicari; ramis brevibus, 1 — 2-floris; spiculis $5\frac{1}{2}$ lin. longis, subcylindricis; glumis subaequalibus, late ovatis, violaceis, margine late scarioso flavescente; inferiore trinervia, superiore $2\frac{2}{3}$ lin. longa, 5-nervia; floribus circa 3, arcte imbricatis; palea inferiore ovato-lanceolata, subseptemnervia, (nervis parum distinctis), viridi, margine angusto fulvescente, et ante marginem violacea, $2\frac{2}{3}$ lin. longa; superiore subaequali, carinis dense villoso-ciliatis.

In Andibus prov. Colchagua primus invenit orn. Landbeck, deinde ipse in Andibus prope Santiago. Species cum nulla alia chilensi confundi potest.

1131. Festuca dumetorum Ph. *). F. perennis, repens culmo 1 — 2-pedali, binodi, laevi, basi tunicato; foliis caulinis *herbaceis, planis*, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ *lin. latis*, fasciculorum sterilium siccitate convolutis; vaginis horum retrorsum puberulis, caulinorum glaberrimis; panicula 5-pollicari, laxa, ramis singulis geminisve usque ad medium nudis; spiculis $4\frac{1}{2}$ — 6 lin. longis; 6 — 7-floris, ovato-rhombeis; glumis valde inaequalibus, inferiore lineari, superiore ovato-lanceolata, inferiorem triente superante, trinervia, *nervis valde prominen-*

*) *F. dumetorum* L. est *F. rubrae* varietas.

tibus, $2^1/_2$ lin. longa; palea inferiore lanceolata, cuspidata, interdum breviter aristata, $3^1/_2$ lin. longa.

In praedio meo „S. Juan“ crescit. — Folium caulinum summum ultra pedem a panicula remotum. Spiculae virides, magis minusve violaceo-tinctae, glabrae vel omnino hirtae. Caryopsis violacea $1^1/_2$ lin. longa, glabra, apice villosa, intus late sulcata.

1132. **Bromus tunicatus** Ph. Br. 4, caespitosus, glaberrimus, laevissimus; culmo erecto, basi vaginis foliorum emortuorum denique fibrosis arcte tunicato, $1^1/_2$-pedali; foliis planis; ligula oblonga, hyalina; panicula 3—4-pollicari, pauciflora; ramis rigidis, erectis, unifloris, 2—4 in verticillis inferioribus; spiculis 9—12 lin. longis, valde compressis, subsexfloris; glumis subaequalibus, ovato-lanceolatis, septemnerviis, 5 lin. longis; floribus arcte imbricatis; palea inferiore $6—6^1/_2$ lin. longa, ovato-lanceolata, mutica, 9—11-nervia, puberula, nervis haud prominentibus; superiore profunde complicata, carinis modo superius ciliato-serratis.

In Andibus prov. Santiago legi potest. — Folia $1^1/_2$ lin. lata, culmorum sterilium apicem versus pubescentia. Caryopsis valde compressa, transversim rugulosa, altero margine profunde sulcata.

1133. **Chusquea montana** Ph. Ch. ramosa; foliis floralibus parvis, a basi inde angustatis, subtus in utroque latere binerviis; panicula aperta, basi nuda; pedicellis spiculas *violaceas*, 3 lin. longas subaequantibus; glumis calycinis brevissimis; inferiore obovata, obtusa, superiore ovata, acuta; paleis sterilibus, ovato-lanceolatis, trinerviis, acuminatis, haud aristatis, extus in carinis pubescentibus, $^2/_3$ — $^3/_4$ spiculae aequantibus; fertilibus similibus, basi viridibus.

In montibus supra „Corral“ a Krauseo detecta. Sex ad

novem pedes alta, ramosissima. Folia ramorum florentium 2 poll. longa, vix 3 lin. lata; panicula absque pedunculo 4-pollicaris; rami ejus plerumque bini, inferiores $2^1/_2$-pollicares. Species panicula aperta, spiculis violaceis etc. facile cognoscenda.

1134. **Chusquea valdiviensis** Desv. var. palea fertili glabra, ab orn. Krause in prov. Valdivia loco dicto „Putabla" inventa est, sed etiam aliis in locis crescit.

1135. **Chusquea parvifolia** Ph. Ch. vix orgyalis, ramosa; foliis herbaceis, majoribus vix 3 poll. longis, cuspidatis, ad os pilosis; floribus ....

In prov. Colchagua frequens videtur. — Ramuli, ut in aliis speciebus, basi vaginis vix dimidium internodium aequantibus, glaberrimis, valde striatis vestiti. Nervus medianus foliorum multo magis distinctus quam reliqui, qui conferti, subaequales; nervuli transversales fere nulli; margo distanter serrulatus, apex longissimus acerosus.

Obs. *Chusque Culeou* Desv. (rectius *Coleu*). Jam per decem annos loca visito, ubi mihi in praedio millia hujus arundinis crescunt, nunquam florentem vidi, neque in via ad oppidum Valdiviae, neque alibi!

1135a. **Chusquea ciliata** Ph. Ch. elata, ramosissima; ramis floriferis dense fasciculatis, inaequalibus, polyphyllis; foliis *herbaceis*, versus apicem longissime attenuatis, 2—$3^1/_2$ poll. longis, 3—4 lin. latis, superius viridibus, glabris, subtus glaucis, sparsim pubescentibus; nervis primariis 6—7, vennlis transversis pellucidis; vaginarum rima longe ciliata; spiculis secus rhachim fasciculato-congestis, $3^1/_4$ lin. longis; *glumis ovatis, cuspidatis, dimidium floris sterilis aequantibus*; palea inferiore floris fertilis apice trinervia, glabra, margine tenuissime ciliata.

Locis maritimis prov. Santiago, prope Algarrobo etc.; Julio florebat, incolis „Quila.“ — Planta 9—12 pedes alta. Folia subtus valde glauca, sensim et longe acuminata, fere ut *Ch. Quila* Kth., sed subtus minus pubescentia, primo adspectu glabra, et flores valde diversi, fere ut in *Ch. Cumingii* Desv., cui folia coriacea etc. A *Ch. breviglumi* mihi statim glumis duplo longioribus dignoscitur.

1136. Elymus muticus Ph. E. tripedalis; foliis demum convolutis, laevibus; ligula satis brevi, rotundata; spica 4—5-pollicari, rigida, dense imbricata, $2\,^1/_4$ lin. crassa; rhacheos articulis inferioribus utrinque *alato-marginatis;* spiculis geminis vel raro ternis, $5\,^1/_2$ lin. longis, subquadrifloris; glumis subsimilibus, $4\,^1/_2$ lin. longis, lanceolatis, cuspidatis; florum inferiorum paleis aequilongis, apice erosis, *muticis* vel *in aristam brevissimam* productis, ad apicem quinquenerviis.

Prope „Corral“ crescit, ubi reperit orn. Krause. — Culmus basi $1\,^1/_2$ lin. crassus. Folia glaberrima. Articuli rhacheos inferiores glaberrimi, superiores exquisite ciliati. Nervi glumarum et palearum scaberrimi; apex earum scariosus, fulvescens. — Differt ab *E. agropyroide* Presl, unicâ specie chilensi hucusdum descripta breviaristata: spica longe angustiore; articulis inferioribus rhacheos utrinque alatis; glumis latioribus, apice et etiam margine plerumque scariosis.

1137. Elymus vaginatus Ph. E. glaber, laevis; culmo $1\,^1/_2$-pedali, *usque ad apicem vaginato;* vagina summa basin spicae involucrante; foliis siccitate convolutis; ligula brevissima truncata; spica 4 — 5-pollicari, *laete viridi;* rhacheos articulis intus planis, ancipitibus; spiculis geminis vel ternis, (absque aristis) 6—7 lin. longis, 3—4-floris; glumis spiculae medianae tribus, trinerviis, *linearibus*, sensim in aristam attenuatis, quae tertiam longitudinis partem occupat,

cum arista 6 lin. longa, mediana paullo latiore, cuspidata potius quam aristata; glumis spicularum lateralium minus angustis quam laterales spiculae mediae; palea inferiore *lineari*, $4^1/_3$ lin. longa, in aristam 8 lin. longam attenuata, coriacea, basi enervi, deinde trinervia; nervis extus parum conspicuis, lateralibus in aristam haud continuatis; apice truncato, vix bilobo; palea superiore inferiorem subaequante, apice truncata.

Prope „Corral" legit orn. Krause. — Lamina folii penultimi 7 poll. longa, 3 lin. lata. Ab omnibus aliis speciebus antea descriptis culmo vaginato primo adspectu distinguitur, sed cum *latiglumi* mihi congruens, a quo glumis angustioribus discriminator.

1138. Elymus gracilis Ph. E. culmo $2^1/_2$-pedali, gracili, superius nudo; foliis glabris, planis, $2^1/_3$ lin. latis; ligula brevi, truncata; spica 6-pollicari, viridi, *gracili*; articulis rhacheos compressis, versus apicem margine ciliato-asperis; spiculis geminis, subtrifloris, 5 lin. longis; glumis lanceolatis, setaceo-cuspidatis, $4^1/_2$ lin. longis, subquinquenerviis, scabris; paleis puberulo-scabris, $3^1/_2$ lin. longis, in aristam 6—8 lin. longam terminatis, apice vix bilobis, quinquenerviis; palea superiore aequilonga, versus apicem trinervia.

Loco „Pantanos" dicto praedii mei valdivianni inveni. — Culmus vix 1 lin. crassus; articuli rhacheos $1^2/_3$ — $3^1/_2$ lin. longi. — Differt ab *E. andino* Trin.: foliis glabris, glumis quinquenerviis, ab *E. antarctico* Hook. fil.: arista paleam bis aequante; ab *agropyroide* Presl: eadem nota, a *Gayano* Desv.: spiculis modo 2 — 3-floris, longe minoribus, caule debili, gracili etc.

1139. Elymus pratensis Ph. E. culmis $2^1/_2$-pedalibus, apice nudis; foliis planis, glabris, laevisculis; ad summum

2 1/2 lin. latis; ligula brevi; spica 3 — 4-pollicari, glauca vel violaceo-suffusa; articulis rhacheos semicylindricis, inferioribus c. 4 lin. longis; spiculis geminis, 5 — 6 lin. longis, 3—4-floris; glumis subsimilibus, spicula paullo brevioribus, breviter cuspidatis, scabris; palea inferiore 4 lin. longa, *basi glaberrima enervi*, versus apicem quinquenervia et in nervis scabra, apice biloba; arista 7 1/2 lin. longa.

In praedio meo „S. Juan" crescit. Culmus basi 1 1/2 lin. crassus, antecedente multo robustior, spica crassior; glumae in cuspidem longe breviorem terminatae. Ab *E. andino* Trin.: foliis glabris, cuspide glumarum brevi, palea basi glabra, non pubescente; ab *E. Gayi* Desv.: statura minore, foliis glabris, nervis paleae basi obsoletis distinguitur.

1140. **Elymus latiglumis** Ph. E. culmo bipedali, fere usque ad apicem vaginato, laevissimo, etiam sub spica; foliis omnibus plicatis, glaberrimis, laevissimis; spica 4—5 poll. longa, 3 1/2 lin. crassa, viridi-violacea; rhacheos articulis intus planis, extus rotundatis, aucipitibus, inferioribus 2 1/2 —3 lin. longis; spiculis geminis, 2—3-floris, 6 lin. longis, scabris; glumis subsimilibus, *lanceolatis*, cuspidatis, spiculam subaequantibus, scaberulis, altera binervia, altera quadrinervia; paleis *lato-lanceolatis*, quinquenerviis, nervis basi evanescentibus, apice haud bilobis, sed margine sensim in aristam abeunte; arista glumas parum superante, in floribus inferioribus sex, in superioribus 7 lin. longa.

Ad lacum „S. Rafael" c. 47° lat. aust. invenit orn. Dr. Fr. Fonck. — Culmus robustus, 1 1/2 — 1 2/3 lin. crassus. Folia 2 1/2 lin. latä, penultimum 6 lin. longum. — Culmo usque ad spicam vaginis tecto cum *E. vaginato* mihi convenit, nec non foliis plicatis, glaberrimis, sed primo adspectu differt: spica latiore, violaceo-tincta, spiculis modo 2 — 3-floris;

glumis paleisque multo latioribus, arista breviore, non paleam fere bis aequante. Cum *E. antarctico* Hook. fil. quidem spiculis pauciflоris convenit, sed discrepat: culmo fere usque ad spicam vaginato, glumis paleisque latioribus etc., ab *E. chonotico* mihi Centur. no. 515: cuspide brevi glumarum, aristis longe brevioribus etc. statim dignoscitur.

1141. **Elymus corralensis** Ph. E. culmo quadripedali, basi $1^1/_2$ lin. crasso, laevissimo, apice nudo; foliis fere 4 lin. latis; ligula brevissima; spica (a vagina ultima ultra 7 poll. remota), 5-pollicari, satis crassa, viridi; spiculis geminis, 7 lin. longis; articulis rhacheos altero latere planis s. concavis, margine laevibus, $2^1/_2$—$4^1/_2$ lin. longis; glumis lineari-lanceolatis, fere 6 lin. longis, cuspidatis, 4-nerviis, scaberulis, margine scariosis, apice saepe fulvis uti paleae; spiculis trifloris; palea inferiore 5 lin. longa, oblongo-lineari, apice biloba, nervis (sex) solum in ultimo tertio conspicuis, unico in aristam brevissimam $^3/_4$—$1^1/_2$ lin. longam continuato.

Prope „Corral“ ab indefesso Krause inventus. — *E. agropyroidi* propter aristas brevissimas accedit, sed foliis planis, latis, spica crassiore, viridi aut viridi-fulva nec violacea, floribus majoribus, glumis paleisque magis coriaceis differt.

Pl. Cryptogamae vasculares.

1141. **Lomaria Leyboldtiana** Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 68. L. frondibus brevissime petiolatis, sterilibus lineari-lanceolatis, pinnatisectis, glabris, herbaceis; pinnulis integerrimis, ovatis vel oblongis, obtusissimis, basi confluentibus, inferioribus brevioribus, summis omnino confluentibus, oppositis alternisve, circa 15—17 utrinque; fertilibus steriles aequantibus, sed pinnulis oblongo-linearibus, obtusis.

In litore prope „Lota“ nec non prope „Puerto Montt“ detexit orn. R. Pearce. — Frondes modo 6 poll. longae, 12—14 lin. latae. Stipitio basi squamosi pars nuda brevissima; laciniae basi lata subconfluentes, infima semicircularia, mediana c. 7 lin. longa, $3\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{2}$ lin. lata; fertilium laciniae basi quidem confluentes, sed a basi inde contractae, ideoque satis distantes; etiam in his laciniae basales breves, semiorbiculares, praeter infimas fructificant. — Magnitudine et habitu *L. Gayanae* Remy proxima, sed: pinnulis latis, obtusis, integerrimis, stipitibusque et fertilibus et sterilibus a basi foliola gerentibus facillime distinguitur.

1143. Adiantum Pearcei Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. p. 68. A. glabrum, laete viride; frondibus tenuibus, linearibus, simpliciter pinnatis, pinnis 6—10-jugis, brevissime petiolatis, orbicularibus, subincisis et tenuissime denticulatis; stipite capillaceo, rufo, vix una alterave palea vestito.

In monte „Cerro largo“ prope „Chacabuco“ ab orn. Ric. Pearce inventum est. — Rhizoma vix 1 lin. crassum, paleis rufis dense vestitum. Stipites circa 5 poll. longi, in tertia parte inferiore nudi. Foliola fere 5 lin. lata, $3\frac{1}{2}$ lin. longa, basi truncata aut subcuneata, parum obliqua, fertilia superficialiter quater ad sexies incisa; omnia tenuissime denticulata; foliolum terminale interdum lateralibus majus, interdum minus, orbiculare, nunquam trapezoideum. Sori bini ad seni, alii orbiculares, alii ovati, alii elongati, in specimine communicato nondum bene explicati. Habitus omnino *Asplenii Trichomanis* L. — *A. pumilo* Swartz proximum videtur, sed folium terminale nunquam trapezoideum.

1144. Gramnitis araucana Ph. Gr. caudice repente paleaceo; frondibus coriaceis, linearibus, basi sensim in stipitem subnudum attenuatis, apice bilobis, lobis parvis, fere

semicircularibus, paucidentatis; pagina inferiore paleis paucis, raris adspersa; margine involuto, soris ellipticis.

In litore Araucaniae inter S. Jose et flumen Imperial invenit orn. Krause. — Frondes circa $4^1/_2$ poll. longae, $2^1/_2$ lin. latae; lobi terminales ad summum $3^1/_2$ lin. longi. Sori ad $1^1/_2$ lin. longi, aequo spatio distantes. Venae nullae conspicuae. — Differt a *Gr. magellanica* Desv.: caudice repente, frondibus solitariis neque fasciculatis, et a *Gr. repanda* Knze.: pariter caudice repente, frondibus solitariis, valde coriaceis etc.

1145. **Polystichum Pearcei** Ph. P. fronde supra glabra; subtus, rhachi, stipiteque densissime paleaceo-pilosa, lanceolata, tripinnatifida; pinnis lineari-lanceolatis, longe acuminatis; pinnulis lanceolatis, acutis, pinnatifidis, lobulis inferioribus bifidis trifidisque; laciniis obtusiusculis.

Ad radicem Andium „de Ranco“ dictarum in prov. Valdivia reperit orn. Ric. Pearce, mecumque specimen communicavit. — Frons 21 poll. longa, $5^1/_2$ poll. lata; stipes hujus longitudinis 6 poll. occupat. Pinnae utrinque circiter triginta, intermediae $3^1/_2$ poll. longae, $^3/_4$ poll. latae; utrinque circiter 20 pinnulas gerunt, quae 4 lin. longae, 2 lin. latae, et plerumque 3, ad summum 4 lobulos utrinque habent; laciniae fere perfecte lineares. — Species elegantissima.

1146. **Trichomanes Beckeri** Krause. Tr. stipite longo, alato; fronde oblonga, tripinnatifida; segmentis linearibus, undulatis, dentato-spinosis, plicatis; rhachide stipiteque alatis; ala membranaceo-crispata, dentato-spinosa; sporotheciis lateralibus, *ovatis*, *apice ciliato-spinosis*; receptaculo sporothecium bis aequante.

Prope „Corral“ Valdivianorum portum, invenit orn. Krause, mecumque communicavit. — Stipes speciminis quod suppeti

4 poll., frons ipsa 6 poll. longa et 2 1/2 poll. lata est.: *Hymenophyllo dichotomo* Cav. ut ovum ovo simile est, ita ut nullam frondis differentiam invenire potuerim, nisi quod ala rhachidis in nova specie forte latior est, sed sporothecia valde diversa, majora, elliptica, obtusa, minime acuta, apice dense ciliato-spinosa et receptaculum elongatum generis Trichomanes.

